Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Cvrarvm In Historiam Textvs Graeci Epistolarvm Pavli Specimen I

Spec. 1, P. 1 : / Cvivs Partem Priorem ... Praeside Ernesto Iacobo Danovio Theologiae Doctore Hvivsqve Professore Pvbl. Ordin. ... Pro Svmmis In Theologia Honoribvs Rite Impetrandis Ad Diem VII. Febrvarii ... MDCCLXXVII. Pvblice Disceptandam Proponit Ioannes Iacobvs Griesbach Theologiae Professor Pvbl. Ordinarivs Et Societ. Acad. Princ. Hassiacae Sodalis

Ienae: Fickelscherrius, 1777

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0001
DFG

~~4 8. 5~~

Fc – 1046.

F. c. – 1046.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn833299301/phys_0002
DFG

CVRARVM

IN HISTORIAM TEXTVS GRAECI EPISTOLARVM PAVLI

SPECIMEN I.

CVIVS

PARTEM PRIOREM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE GVESTPHALIAE REL.

EX AVCTORITATE VENERANDI THEOLOGORVM ORDINIS

PRAESIDE

ERNESTO IACOBO DANOVIO

THEOLOGIAE DOCTORE HVIVSQVE PROFESSORE PVBL. ORDIN. SERERISSIMO DVCI SAXO-VINARIENSI ET ISENACENSI A CONSILIIS ECCLESIASTICIS CIVIVM GOTHANORVM ET ALTENBVRGENSIVM INSPECTORE SOCIETATVM DVCALIVM IENENSIVM TEVTONICAE SVBLIMIORVM DISCIPLINARVM ATQVE LATINAE COLLEGA HONORARIO

PRO SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS RITE IMPETRANDIS

AD DIEM VII. FEBRVARII A. S. R. MDCCLXXVII.

PVBLICE DISCEPTANDAM PROPONIT

IOANNES IACOBVS GRIESBACH

THEOLOGIAE PROFESSOR PVBL. ORDINARIVS ET SOCIET. ACAD. PRINC. HASSIACAE SODALIS.

IENAE

TYPIS FICKELSCHERRII.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0005

DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0006
DFG

CONSPECTVS.
SPECIMINIS I
SECTIO I
AGIT DE HISTORIAE HVIVS VTILITATE, DIFFICVLTATE, ET FONTIBVS, ATQVE DE RECENSIONIBVS VETVSTIS GENERATIM, EARVNDEMQVE INVESTIGANDARVM RATIONE.

§. 1. *Cur ſacri textus hiſtoria accuratiſſima perueſtigatione digna ſit.*

§. 2. *Hiſtoriae huius, omnibus partibus perfectae, deſcriptio.*

§. 3. *Niſi facem haec nobis praefert, neque integritatem textus Noui Teſt. contra doctos aduerſarios rite defendere,*

§. 4. *Neque de editionum hodiernarum indole et pretio iudicare valemus.*

§. 5. *Inprimis vero carere hoc adminiculo non poſſumus in iudicanda lectionum varietate, indagandisque lectionibus genuinis. Hiſtoria enim, tum corruptionum originem, tum inſtrumentorum, quibus criticus vtitur, indolem atque vſum docet, atque*

§. 6. *Reperiendarum lectionum genuinarum viam commonſtrat, non ſolum vſitata atque vulgari longe breuiorem,*

§. 7. *Verum etiam tutiorem.*

§. 8. *Vulgaria enim artis criticae praecepta ſatis ſunt imperfecta et lubrica. Poſſet quidem, praelucente hiſtoria textus, critices ſacrae theoria adornari longe perfectior;*

§. 9. *Verum enim vero ipſa haec textus ſacri hiſtoria nondum ita elaborata eſt, vt huic fini commodum inſeruire poſſit.*

§. 10. *Auctoris conſilium de conſcribenda accuratiore et pleniore textus graeci hiſtoria, cuius prodromum iam virorum doctorum iudicio ſubmittit, vt ſententias eorum exploret. Magnis difficultatibus obſtructum eſſe hoc negotium fatetur, at multa tamen in clariori luce poni poſſe ſperat.*

§. 11. *Deſcribuntur fontes, e quibus hiſtoria illa haurienda eſt. Primus eorum continetur in codicibus graecis manuſcriptis. Octo proferuntur momenta, quae in elicienda e talibus libris textus graeci hiſtoria probe obſeruari debent.*

§. 12. *Fons ſecundus poſitus eſt in verſionibus vetuſtis, de quarum vſu tria obſervanda veniunt.*

§. 13. *Fontem tertium conſtituunt allegationes patrum; vbi notandum eſt, primo, qua ratione diſcerni poſſint allegationes accuratae et fideliter e codicibus vetu-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0007
DFG

ſtis transſcriptae ab aliis memoriter et negligenter factis, et a vagis ad ſcripturae ſacrae loca prouocationibus; deinde, quomodo iudicari queat, vtrum allegatio quaedam incorrupta hodie ſuperſit, an vero a librariis et editoribus deprauata et ad iuniores libros reficta ſit; denique, quasnam leges ſeruare debeat, qui Patrum allegationes ita colligere velit, vt futuri hiſtoriographi commodis optime conſulatur.

§. 14. *Fons quartus et vltimus continetur diſertis ſcriptorum antiquorum narrationibus, de rebus ad textus ſacri hiſtoriam ſpectantibus.*

§. 15. *Propter monumentorum teſtimoniorumque ſatis vetuſtorum penuriam, in hiſtoria antiquiore carere non poſſumus hypotheſibus, quae certis ac indubiis obſeruationibus ſuperſtruendae ſunt.*

§. 16. *Tranſitus ad tractationem de vetuſtis recenſionibus generatim ſpectatis.*

§. 17. *Quot modis nouae libri cuiusdam recenſiones oriri poſſint?*

§. 18. *Docetur, qua via perueniatur ad deprehendendas et dignoſcendas recenſiones diuerſas. Nempe diligentiſſime obſeruandae ſunt codicum verſionum et Patrum in lectionibus inſignioribus et characteriſticis diſſenſiones et conſenſiones.*

§. 19. *Codices omnes in claſſes quasdam atque familias diſtribui debent, quae res tamen cautiones nonnullas habet.*

§. 20. *Pleraeque recenſiones vetuſtae, quas dudum deperditas eſſe putant viri docti, inſtaurari poſſunt atque in integrum reſtitui.*

§. 21. *Qua ratione quoue artificio effici hoc poſſit, docetur.*

§. 22. *Quoſnam fructus inde percipere poſſit graeci textus hiſtoria, paucis indicatur.*

SECTIO II

SISTIT HISTORIAE TEXTVS SACRI ANTIQVISSIMAE, VSQVE AD EDITI ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ TEMPVS, LINEAS PRIMAS.

§. 1. *Vtrum autographa apoſtolorum idiographa fuerint, diſſeritur. Ex autographis diuerſarum recenſionum origo deriuari nequit.*

§. 2. *De interna autographorum oeconomia.*

§. 3. *Ipſa autographorum diſpoſitio tranſpoſitionibus nonnullis vetuſtiſſimis occaſionem praebuiſſe videtur. Illuſtratur hiſtoria cap. XV. et XVI. epiſtolae ad Romanos.*

§. 4. *Autographa mature perierunt. Expenditur locus Ignatii in epiſt. ad Philadelphios.*

§. 5.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0008
DFG

§. 5. *Tertullianus de praescript. haeret. cap. 36. neutiquam loquitur de autographis, sed de exemplaribus genuinis et incorruptis.*

§. 6. *Autographa non perierunt Diocletianae demum persecutionis tempore, sed Origenis aetate deperdita iam erant.*

§. 7. *Proferuntur causae duae, cur de conseruandis archetypis apostolicis minus anxii fuerint veteres Christiani; quarum altera posita est, in editione τῶ ἀποστολικῶ.*

§. 8. *Altera vero in eo, quod de singulis textus sacri apicibus et syllabis parum fuerint solliciti, dummodo sensum integrum atque doctrinam apostolorum incorruptam esse cernerent. Plane ab ἀκριβεια critica abhorrebant illius seculi mores.*

§. 9. *Ante editum ἀποστολον, non solum singulae epistolae saepius descriptae fuerunt, sed extabant etiam imperfectae quaedam epistolarum collectiones. Exemplarium ante editum ἀποστολον scriptorum conditio atque indoles. Passim interpolata iam erant.*

§. 10. *Quot et quasnam epistolas complexus sit ὁ ἀποστολος.*

§. 11. *Neque Paulus, neque ecclesia Romana, sed doctor quidam graecus aut orientalis quaedam ecclesia editionem τῶ ἀποστολῶ procurauit.*

§. 12. *De tempore editi ἀποστολικῶ.*

§. 13. *De textu primigenio huius editionis. Genuinus quidem erat, sed admixta tamen habuisse videtur glossemata nonnulla.*

§. 14. *Post editum ἀποστολικον, duo codicum genera per librarios propagabantur, alterum e priscis codicibus, alterum ex editione τῶ ἀποστολῶ ductum erat. Illud adamabant occidentales christiani, hoc praeferebant orientales. Duarum recensionum antiquissimarum incunabula hic latent.*

§. 15. *Coniectura proponitur de recensionis vtriusque indole et conditione.*

SECTIO III

FATA TEXTVS EPISTOLARVM GRAECI AD QVINTVM VSQVE SECVLVM STRICTIM PERSEQVITVR.

§. 1. *Multa quae huc pertinent collegit Millius. Nos generaliora tantum attingemus.*

§. 2. *Ingens hoc tempore, immo tertio seculo ineunte, iam fuit codicum inter se discrepantia.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0009
DFG

§. 3. *Antiquissima illa lectionis varietas magna ex parte ortum suum debebat delicatulorum quorundam hominum sedulitati; id quod veteris latinae translationis exemplo confirmatur.*

§. 4. *Alia causa interpolati textus graeci posita erat in scholiis, margini codicum illitis; quae vel critica erant;*

§. 5. *Vel exegetica.*

§. 6. *Vetustis codicibus multa inerant scribendi compendia.*

§. 7. *Noua ratione illustratur locus Io. 1, 13. Nempe Tertullianus mala interdum fide egit, atque ex Irenaei allegationibus lectiones nouas finxit, easque aduersus genuinam lectionem mordicus defendit.*

§. 8. *Prisci doctores nimio plus suspicionibus suis, de corrupto per haereticos textu sacro, indulserunt, quia criticae artis rudes erant. De Marcione, codicum corruptore.*

§. 9. *Ex eadem criticarum rerum imperitia originem etiam traxit nimia in transcribendis codicibus mutandisque verbis genuinis licentia, quae quinto circiter seculo variis de causis cessauit.*

§. 10. *Nonnulla de fatis recensionum vetustarum generatim notanda, proferuntur.*

SPECIMEN II.

I. Continebit accuratam descriptionem duarum recensionum omnium antiquissimarum, alexandrinae scilicet atque occidentalis. Indicabuntur codices versiones et Patres, qui alterutram exhibent. Vtriusque classis codices in suas dispescentur familias. Ortus harum recensionum illustrabitur. Adiicientur denique nonnulla de recensionibus, quas secuti sunt Chrysostomus et Theodoretus, earumque originibus.

II. Tradetur noua Criseos sacrae theoria, historicis obseruationibus suffulta.

III. Ad theoriae huius leges atque regulas examinabuntur recensiones vetustae et comparabuntur tum inter se, tum cum textu hodierno. In primis vero sub examen revocabuntur codices graeco latini, aliique quos latinizantes vulgo appellant et iusto plus contemnunt.

CVRA-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0010
DFG



CVRARVM IN HISTORIAM TEXTVS GRAECI EPISTOLARVM PAVLI SPECIMEN I.

SECTIO I.

DE HISTORIAE HVIVS VTILITATE DIFFICVLTATE ET FONTIBVS ATQVE DE RECENSIONIBVS VETVSTIS GENERATIM EARVNDEMQVE INVESTIGANDARVM RATIONE

§. 1.

Textus librorum Noui Teſtamenti graecus ſi e limpidiſſimis autographorum fontibus in primas editiones typis excuſas per librarios non minus fidos quam peritos tanta cura ac religione deriuatus fuiſſet, quantam nonnulli, de hoc hominum genere praeclare ſentientes, praedicare ſolent: vix eſſet, cur in hiſtoriam huius textus antiquiorem ſtudioſius inquireremus. Minuta enim ſphalmata, quae ne diligentiſſima quidem

dem solertissimorum librariorum cura caueri possunt penitus, tanti non sunt, vt historia, absque μικρολογιας vitio in eorum enumeratione ac discussione, si vel maxime de origine et propagatione eorum exacte nobis constaret, versari queat. Nec criticis multum negotii tales a genuina lectione aberrationes facere possunt, ex vulgaribus artis criticae praeceptis facile diiudicandae atque emendandae. Verum enim vero longe aliter rem sese habere, tam certum est, quam quae sunt certissima. Patet enim tum e disertis antiquiorum patrum testimoniis, tum etiam ex ipsis quae supersunt monumentis vetustis, membranis puto graecis et translationibus antiquissimis, eorumque et inter se et cum scriptorum ecclesiasticorum allegationibus comparatione: incredibilem et plane stupendam inde a tertio saltim et quarto seculo fuisse exemplarium codicis sacri discrepantiam; spectasse hanc non ad leuiores tantum litterarum et vocabulorum permutationes, licet hae quoque non sint nullius interdum ad eruendum sensum verum momenti, sed etiam ad vniuersum textus sacri habitum atque tenorem; profectam eam esse non tam e librariorum in transcribendo textu somnolentia et incuria, quam potius ex interpretum, criticorum et librariorum eruditulorum studio ac consilio; extitisse olim textus graeci recensiones, ab ea qua nos vtimur in omnibus fere Noui Instrumenti segmentis et commatibus tantopere dissonantes, vt fidem paene res exsuperaret, nisi superessent talium recensionum quaedam quasi rudera in codicibus nonnullis atque versionibus; tot fere fuisse textus sacri editiones siue recensiones inter se differentes, quot fuere orbis christiani prouinciae maiores; labente tempore sepositas esse vetustas illas recensiones, earumque in locum successisse alias, ab hodierna nostra longe minus abhorrentes. Quae omnia cum ita sint, historiam harum vicissitudinum accuratissima inuestigatione dignissimam esse dubium, vt opinor videbitur nemini, qui propinquam cognationem huius historiae cum crisi sacra, arctissimumque vinculum quo crisis cum inter-

interpretatione litterarum sacrarum, adeoque cum ipso theologiae vniuersae atque religionis reuelatae fundamento coniuncta est, cognitam habet atque perspectam.

§. 2.

Complecteretur enim historia sacri textus, quae omnibus omnino numeris absoluta esset, accuratam fideque dignam delineationem omnium textus sacri fatorum memorabilium, ita concinnatam, vt clare et certo ex ea perspici posset, quaenam fuerit quouis seculo, inde ab apostolorum tempore ad nostram vsque aetatem, in maioribus tam occidentis quam orientis prouinciis, graeci textus facies, quibusue obnoxius fuerit mutationibus. Nec solum vicissitudines ipsas ob oculos poneret, verum etiam earundem auctores, causas, modum atque effectus enarraret; codices omnes ac versiones in suas familias dispesceret; recensionum numerum, origines, aetatem, patriam, ambitum, discrimina, criteria, nouas recognitiones atque permixtionem repraesentaret; ad aestimandum verum recensionis cuiusque pretium nos deduceret; ac, praeter palaeographiam, diuisionumque et interpunctionum historiam, complecteretur quoque chronologiam, genealogiam atque geographiam criticam. Talis igitur historiae, hisce dotibus instructae, vtilitatem summam, neminem in dubium vocaturum esse existimo, qui ea quae de fructibus inde sperandis, hoc est, de fine quem in tractando hoc argumento nobis proposuimus, breuiter dicturi iam sumus, serio secum reputare velit.

§. 3.

Primum intemerata textus Noui Testamenti integritas, nisi firmo historiae huius praesidio tegatur, contra aduersariorum, vulgaribus Scripturae sacrae obtrectatoribus paullo doctiorum, calumnias defendi rite non potest. Dogmaticae enim ratiunculae, quibus ad vindicandam incorruptam textus puritatem vtuntur nonnulli, praeter leuem aliquam

probabilitatem nihil efficiunt. Nec assertis suis fidem facere possunt, qui primaeue ecclesiae curam in conseruanda librorum sacrorum integritate, commentitiis laudibus ad coelum extollunt. Neque multum proficiunt, qui ad versiones vetustas prouocant, easque non solum ipsa apostolorum tempora attingere, verum tam late etiam per vniuersum terrarum orbem dispersas fuisse contendunt, vt nullis maleferiatorum hominum fraudibus libri sacri deprauari potuerint. Nam translationes pleraeque recentiores sunt, quam vt de rebus, primis post Christum natum seculis gestis, testimonium dicere possint exceptione maius; latinam enim, omnium ut videtur vetustissimam, seculo secundo ad finem vergente antiquiorem esse, iustis argumentis confirmari haud potest; de syriaca autem nihil pro certo affirmare ausim, praeter quam quod seculo quarto extiterit ac inter Syros recepta fuerit. Accedit, tum ipsas hasce versiones antiquissimas mirum quantum esse interpolatas, tum incertam esse eorum opinionem, qui in tot apographa isto iam tempore diffusas eas fuisse arbitrantur, vt ne minima quidem corruptio, insciis christianis innumeris, tentari a quopiam potuisset. Aeque rem dicendo exaggerant, qui credere nos iubent, nullum fere vixisse seculo secundo christianum graecam linguam callentem, saltim plebis doctorem nullum, quin codicem Noui Testamenti graecum domi seruarit; atque hinc efficere student, libros sacros, nisi tot christianorum vbiuis terrarum dispersorum millibus in scelus hoc nefarium conspirantibus, deprauari haud potuisse. Quae omnia cum docto et morosо adversario neutiquam omnes calumniandi ansas elabendiue occasiones eripiant, sedulo circumspicienda sunt argumenta alia, istis validiora. Haec vero vltro se nobis offerunt, in historiam sacri textus studiose inquirentibus, quippe quae textus huius fata inde a secundi seculi exitu repetit, et scriptorum apostolicorum textum isto tempore nulla in re, e qua integritas eius pendeat, (neque enim, vt vulgus indoctum putat, e singulis vocabulis

cabulis aut syllabis aestimanda est,) a textu hodierno dissensisse docet. Quid? quod rationes etiam suppeditat grauissimas, e quibus integritatem ante eam secundi seculi partem, vbi certa et indubia textus sacri historia incipit, perire non potuisse, summa cum probabilitate colligimus.

§. 4.

Deinde absque iusta historiae huius notitia iudicare de hodiernarum Noui Testamenti editionum indole et pretio nemo potest. Cum enim nulla extet lex, publica auctoritate sancita, quae hac illaue editione standum esse praecipiat, sed vnicuique tantum assignandum sit pretium, quantum per editoris diligentiam fidem reique criticae peritiam, et per subsidiorum quibus in recensendo textu vsus est tum copiam tum bonitatem, tribuere ei licet: facile patet, iudicium nostrum de editionis inter nostros receptae valore, firmum veritatique consentaneum esse non posse, nisi partim editionum principum origines caeterarumque genealogiam probe teneamus, partim antiquiorem textus graeci historiam cognitam habeamus, atque sciamus, tum quomodo se habuerit textus codicum, quos editores secuti sunt, ad textum secundo et tertio seculo vsitatum, tum etiam, qui factum sit, vt antiquus ille textus sensim ita immutaretur, vt tandem inde enasceretur textus hic, quem editores typis excudi curauerunt.

§. 5.

Denique, vt alios vtilitatis fructus ex historia textus sacri decerpendos*) silentio iam praetereamus, iudicium nostrum in aestimanda

*) Inseruit praeterea dignoscendis scriptis patrum spuriis, fraude nonnunquam patescente e lectionibus locorum scripturae sacrae vel post scriptoris, cui liber tribuitur, tempora demum ortis, vel ad aliam recensionem, quam qua vti solet auctor

lectionum varietate indagandisque lectionibus genuinis ita dirigitur historiae illius beneficio, vt plerosque errores grauiores, (a quibus, vt nunc est, ne peritissimus quidem ac diligentissimus criticus satis sibi cauere potest,) facili negotio euitare, iudiciique nostri veritatem, non probabilibus tantum coniectationibus, sed firmissimis et indubiis argumentis, commonstrare possimus. Qui enim corruptionis originem, propagationem, vniuersamque historiam nouit, veram emendationis rationem facillime inueniet, atque cur textus sic, nec aliter, corrigendus sit, perspicue docere poterit. Nec instrumentorum quibus critici vtuntur (nimirum codicum manuscriptorum, versionum et allegationum in libris scriptorum vetustorum occurrentium) veram indolem, iustum pretium, legitimumque vsum aliunde cognoscere licet, quam ex hac, de qua loquimur, sacri textus historia. Hac enim magistra discimus, ad quamnam familiam siue recensionem referendus v. c. sit codex quisque, de cuius lectione quaeritur? vetustane sit ea ad quam codex pertinet editio, an recentior? vtrum purioribus accensenda sit, an interpolatis? quaenam praecipue sint huius recensionis virtutes, quoue naeuorum genere (omissionibus, additamentis, glossematibus etc.) potissimum deprauata sit? quodnam pondus tribuendum sit testimonio consentienti vniuersae familiae? num testes, qui hanc familiam constituunt, in ea de qua disputatur lectione amico consensu conspirent, an in diuersas abeant partes?

auctor ille, pertinentibus; illustrat antiquiorem historiam artis interpretandi, ope glossematum et interpretamentorum textui admistorum, eumque ex antiquissimorum interpretum mente declarantium; reuocat nos ab inepta in explicandis libris sacris sedulitate, quae syllabas ac litteras satis interdum incertas captat, mirasque inde exsculpit emphases; interpretationum, doctoribus quibusdam olim probatarum, causas, in lectionis discrepantia saepe latentes, patefacit, atque adeo ipsi etiam dogmatum et controuersiarum inter veteres christianos agitatarum historiae lucis nonnihil affert.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0016
DFG

tes? quaenam familiae pars, non numero tantum sed aetate etiam et bonitate auctoritateque, potior sit, eane quae lectionem defendit, anne altera hanc impugnans? vtrum vnius tantum familiae praesidio firmetur lectio, an duarum, trium, pluriumue? reliqua. Hisce vero fundamentis cum crisin nostram superstruere debeamus, (quae enim internis probabilitatis indiciis potissimum, ne dicam vnice, regitur, infirmo admodum talo nititur; parum saltim firmiore quam ea, quae codicum numero, inanissimo sane criticastrorum terriculamento, abripi se patitur:) abunde patet, quam insignem, in iudicandis quorumcunque locorum lectionibus, vtilitatem afferat ea quam descripsimus sacri textus histo. ia.

§. 6.

Quod quidem clarius etiam eluceſcet, si cogitemus, quantum eius ope breuiari possit improbus criticorum in eruendis vindicandisue genuinis textus sacri verbis, labor. Quotus enim quisque laboris tam patiens est, vt sine taedio v. c. centum testes (scil. tot codices versiones et patres pro lectione quadam aut contra eam excitatos) *sigillatim* lustret atque examinet, et quantum *cuiusque* valeat testimonium distincte aestimet? Ac si hanc molestiam feliciter tandem superauit ferrea critici diligentia, restat ei tamen, si vulgarem methodum sequatur, maior difficiliorque negotii pars. Nempe tot testimoniorum pondera diuersa *vno eodemque* mentis actu atque impetu librare, quid *cuncta in vnam summam collecta* valeant diligentissime perpendere, quaenam testimoniorum summa, eane quae pro recepta lectione facit an illa quae aliam lectionem defendit, alteram excedat dispicere, et tum demum *quaenam* praeferenda sit lectio, et *quantum* alteri praestet, pronunciare debet. Quantis vero difficultatibus vniuersum hoc examen impeditum sit, dici vix potest. Cum enim pro lectione textus, aeque ac pro variante, non raro

quin-

quinquaginta aut sexaginta testes laudentur, animus numero eorum ita distrahitur, vt in aestimando singulorum pondere, colligendaque ponderum summa, vix a confusione variisque erroribus cauere sibi possit. Nam si vel vnicus testis aut negligatur penitus, aut plus ei minusue quam par est, tribuatur, vitio non carebit quod de lectionis discrepantia fertur iudicium. Sed ex omnibus istis tricis feliciter expedire se poterit, qui diuersas textus recensiones, facem praeferente historia, rite dignoscere didicit. Singulos enim codices ac testes anxie numerare et ponderare necesse non habet, sed ad classes tantum siue familias eorum animum aduertit, et in hoc vnice inquirit, quot et quaenam ex antiquioribus recensionibus vtrique faueant lectioni; quo deprehenso; iudicium, quatenus e testium auctoritate pendet, erit facillimum. Quanti enim quaeque facienda sit recensio, et quid valeat vniuscuiusque vel dissensus a caeteris vel cum aliis consensio, id facile, vt suo loco deinceps videbimus, praelucente historia ita effici potest, vt noua aestimatione singulis in locis opus plerumque non sit.

§. 7.

Haec vero genuinas lectiones indagandi via, vt breuior est minusque taediosa quam vulgaris, (numerosae enim testium copiae, vtilissimo compendio, ad quinque aut sex classes rediguntur;) ita tutior quoque est et certius ad finem quo tendimus nos deducit. *Primum* enim, omnes eiusdem familiae testes, cum ex eodem fonte hauserint, pro vno tantum habendi sunt. Hinc, qui singulorum censum ineundum esse existimant, recensionum familiarumque nulla aut exigua habita ratione, non possunt non ad errores permultos proni esse atque procliues. Cum enim ex antiquioribus et melioribus familiis pauci admodum testes hodie superstites sint, contra vero ex recentioribus, quae deteriores et interpolatae esse solent, praesto nobis sint quamplurimi; lectio, quo recentior

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0018
DFG

tior eſt, eo pluribus nobis videbitur auctoritatibus niti. Ad paulinas v. c. epiſtolas triginta circiter apud Wetſtenium laudantur codices, qui ad eandem familiam ſiue recenſionem pertinent omnes, atque adeo *vnius* teſtis auctoritatem haud exſuperant. Vaniſſima igitur eſſet, quae ſingulis hiſce codicibus aliquid ſaltim ponderis attribueret criſis. *Deinde* vulgaris methodus omnium, quotquot pro vtraque lectione extant, teſtium *plenam* occupat enumerationem, qualem nuſquam reperiri vel tirones norunt. Fac vero, notas tibi eſſe pro lectione quadam auctoritates duorum triumue codicum, verſionis copticae, atque Origenis; ſed ignorare te conſentiens cum his teſtimonium verſionis aethiopicae et armenicae, Clementis alex. Euſebii, Cyrilli, et nonnullorum forte aliorum patrum. Oppido ſpernes lectionem admodum exilibus, te iudice, auctoritatibus ſuffultam. Sed eandem non prorſus contemturus eſſes, niſi caeterorum teſtium, a Millio aut Wetſtenio praetermiſſorum, te fugeret conſenſus. Quo vero ſaepius hoc defectu laborant collectiones criticae, eo crebrioribus occaſionem praebent lapſibus. *Immo vero*, etiamſi ampliſſima haberemus omnibusque numeris abſoluta e ſcriptis patrum, quotquot ſuperſunt, excerpta: tamen, ſi vulgaribus criticorum praeceptis adſtringere nos vellemus, multa nobis deeſſent, quibus in ſtabiliendo textu genuino, absque inſigni cauſae noſtrae detrimento, carere non poſſemus. Nimirum patrum ſingulorum allegationes totidem codicum loco nobis ſunt, patri, Scripturae verba e codice ſuo adferenti, aetate vel parium vel paullo etiam antiquiorum. Sed cum paucula tantum Noui Teſtamenti loca in plerorumque patrum ſcriptis excitata legantur, codices illos miſere habemus laceros et longe maxima parte truncatos. Occurrunt ſane apoſtolorum effata ſatis multa, in quorum lectionibus codices Mſti et verſiones inter ſe diſſident; ſed e patrum numero vix vnus et alter qui ea excitauerit, inuenitur. De hiſce igitur locis quid quaeſo fiet? Si enim codices, quibus vſi olim fuere patres

receptam hodie lectionem exhibuisse dixeris, quo iure ita sentias, ex te quaeram. Sin lectionem a vulgari discrepantem in libris illis extitisse sumseris, cur ita tu arbitreris, rogabo. Sin vero, missis patrum suffragiis, e solis libris Mstis et versionibus rem conficiendam esse dixeris, lectionem a te defensam non extra omnem iustae dubitationis aleam positam esse contendam. Cum enim codicum hodie superstitum vix vllus sexto seculo antiquior videri possit, versiones autem vetustiores satis impurae sint et interpolatae: nullum habes testem exceptione omni maiorem e quatuor aut quinque prioribus seculis, cuius auctoritate lectionem tuam tueri possis. Textum vero inde a sexto seculo, vnde tu testium tuorum arcessis praestantissimos, in *plerisque* libris valde corruptum fuisse, negare non potes. Vides igitur, quantum firmitatis desit fundamento, cui crisin tuam superstruis. Fingas vero, patres illos antiquissimos, de quorum lectione ab documentorum inopiam iam dubitamus, habuisse in libris suis lectionem a te reiectam. Nonne, hoc posito, aliter de ea iudicaturus fuisses. Notissimo exemplo rem illustrare liceat. Math. 6, 13 doxologia orationi dominicae subiecta non abest nisi a quinque codicibus Mstis, translatione latina atque saxonica et versionibus nonnullis arabicis et persicis. Similiter Luc 11, 2 et 4. illud γενηθητω το θελημα σου ως εν ουρανω και επι της γης, et αλλα ρυσαι ημας απο τ8 πονηρου deest in tribus tantum aut quatuor codicibus et in versione armenica ac vulgata. Et nihilo tamen minus praestantissimi critici hisce omissionibus calculum suum (nec perperam, nostro quidem iudicio) adiecerunt, nixi potissimum disertis antiquissimorum patrum testimoniis. Sed si intercidissent ista testimonia, lectio genuina inueniri vindicarique vix potuisset. Hinc patet, non posse nos satis esse certos de eorum locorum lectione, de quibus nulla habemus antiquiorum patrum testimonia, nisi forte ex aliis indiciis, e textus sacri historia accuratiore petendis, quid patres illi legerint probabili coniectura colligi queat.

Idem

Idem fere, quod de patrum allegationibus tenendum esse monstrauimus, dicendum etiam est de codicibus manuscriptis. Pauciſſimi enim tanta cura excussi sunt, vt de vniuersis eorum lectionibus certo constare nobis possit. Quid? quod in bibliothecis anglicanis, gallicanis, italicis, hispanicis etc. tercenti saltim aut quadringenti latent librorum Noui Test. codices a nemine adhuc collati, nec vnquam fortasse excutiendi. Quid enim fiet crisi nostrae, si forte nonnulli ex antiquioribus et praestantioribus ignotorum istorum codicum faueant lectionibus, quas damnare vulgo solemus, quia iusto paucioribus niti nobis videntur auctoritatibus?

§. 8.

Ex iis quae hactenus breuissime disputauimus, consequitur, satis longe a perfectionis culmine abesse vulgaria artis criticae praecepta. Atque rem ita se habere, tum sua quemque docere potest experientia, si secundum has leges criticam artem in constituendo Noui Test. textu exercere velit, tum etiam summorum criticorum de innumeris lectionibus mirum quantum inter se dissidentium exempla testantur. Triumuiri illi, qui magnam vitae suae partem crisεos sacrae studio consecrarunt, MILLIVS, BENGELIVS atque WETSTENIVS, sexcentis in locis inter se pugnant; neque magis consentire video viros nostra aetate de re critica bene meritos, e quibus triumuiros iterum nominasse sufficiet in hoc litterarum genere versatissimos, ERNESTIVM, MICHAELEM et SEMLERVM. Toties inter se dissidere profecto non possent viri κριτικωτατοι, in quibus neque accuratam praeceptorum scientiam neque vsum et exercitationem quisquam desiderabit, nisi ipsa artis praecepta nimium essent vaga et lubrica. Si vero criticorum siue inconstantiam siue morosam peruicaciam accusandam esse autumas potius, quam regulas imperfectas, ipse periculum vt facias rogamus. Quan-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0021
DFG

tumuis enim bene praeparatus ad opus adgrediaris, abiectis opinionibus praeconceptis et cupiditate omni; tamen saepe numero dubius haerebis, nec quo te vertas aut quod sequaris inuenies. Quin electa tandem post diuturnam deliberationem lectione e pluribus vna, vltro tamen fateberis, latam a te esse sententiam pro virili tua et pro adiumentorum, quibus vti tibi licuit, modulo, sed saluo meliori iudicio. Neque dissimulant critici, in exercenda hac arte opus esse quasi gustu quodam; quod in se quidem verissimum est, et in hoc rerum genere aliter esse vix potest; sed regulas tamen imperfectas esse arguit, praesertim si saepiculo palati istius quasi arbitrio res permittenda sit. Quae cum ita sint, res ipsa monere, nedum postulare, videtur, vt critices sacrae theoria adornetur, quae non solum magis sit ad vsum accommodata, sed firmioribus etiam nitatur fundamentis, ab errandi periculo tutiores nos praestet, mero criticorum aut interpretum, studio partium saepe abreptorum, arbitrio nihil relinquat aut parum, et in aestimandis lectionibus iudicium nostrum ita dirigat, vt tum nosmet ipsi, sublata omni dubitatione, ad assensionem plane cogamur, tum aliorum quoque consensum, perspicua rationum ad faciendam fidem idonearum expositione, extorquere possimus. Nec abiicienda est excogitandae talis theoriae spes. Etsi enim critica ars iis disciplinis recte annumeratur, quae perfectam ἀποδειξιν non admittunt; tanta tamen, quod ad crisin Noui Testamenti, subsidiorum copia abundamus, vt proxime, nisi nobis desimus ipsi, ad ἀποδειξιν accedere plerumque possimus. Iam vero, cum vniuersa illa quam animo concepimus criseos sacrae theoria (cuius primas lineas, quamuis rudi tantum penicillo depictas, lectorum examini in sequentibus subiiciemus) ex historia textus haurienda sit, et qua partem maximam ex obseruationibus historicis curiose inter se comparatis apteque coniunctis elici debeat: dubitari non potest, quin insignem vtilitatem eandemque multiplicem (coll. §. 3. 4.) allatura esset textus sacri historia,

ita

ita conscripta, vt nihil in ea desiderari posset eorum, quae §. 2. vbi perfectae absolutaeque historiae imaginem delineauimus, commemorata a nobis sunt.

§. 9.

Talem vero nondum extare, mecum fatebuntur omnes, qui virorum in hoc litterarum genere principum scripta perlustrarunt. Primus qui in illustranda hac historia magna cum laude versatus est, fuit RICHARDVS SIMONIVS. Vtut vero in egregio illo *historiae criticae* opere quamplurima leguntur recte acuteque obseruata et magna diligentia e patrum commentariis ac codicibus Mstis collecta, quae partim ad formandum tironum de hoc rerum genere iudicium, partim ad concinnandam iustam textus graeci historiam vtilissime adhiberi possunt: maior tamen operis pars versatur circa historiam librorum sacrorum (quae ab historia textus differt,) versionum et exegeseos; quae vero de textus graeci fatis traduntur, ea selectarum obseruationum potius quam historiae nomine insignienda esse videntur. Nec infitias ire licet, permulta hodie a nobis perspici tum plenius, tum etiam rectius atque melius, quam SIMONII tempore exspectari a quopiam poterat. SIMONII vestigia pressit, sed propius illo ad eam, quam de historia textus sacri animo concepimus, ideam accessit IOANNES MILLIVS, in doctissimis *prolegomenis* suae Noui testamenti editioni praefixis, in quibus, vt ipse testatur, id egit vt „*sacri textus annales*„ pertexeret, et „ textus statum et conditionem (quo modo nempe quouis seculo se habuerit; quas ab haereticis, orthodoxis, aliis, mutationes subierit; et huiusmodi porro alia) iam ab ipsis Noui Test. incunabulis, per omnia ecclesiae secula, ad hoc vsque nostrum, ordinate describeret, ac μαλ' ἱστορικῶς.„ Vtilissima sane quamplurima obseruauit MILLIVS, quibus multum lucis adfertur historiae codicum antiquissimorum, tam eorum quibus vsi sunt translationum

tionum vetuſtarum auctores et patres graeci ac latini, quam illorum qui in bibliothecis adſeruantur. Sed vnice fere in ſingulorum codicum ingenio declarando aeſtimandiſque eorum lectionibus occupatus, in perueſtigandis familiis diuerſiſque recenſionibus minus quam par erat elaboraſſe videtur. Vtut igitur ampliſſimam materiam, quam tractare et in qua limanda exornandaque verſari poſſit diligentia noſtra, incredibili labore congeſſit: iuſtam tamen hiſtoriam conſcripſiſſe videri haud poteſt. IOANNES IACOB. WETSTENIVS vero, in *prolegomenis*, celeberrimae editioni ab ipſo procuratae praemiſſis, MILLII quidem et aliorum παραραματα haud pauca feliciter correxit, de codicibus nonnullis et verſionibus multa annotauit ſcitu longe digniſſima, immo neceſſaria, et editionum praecipuarum hiſtoriam vtiliter illuſtrauit; ſed vt generatim viri huius diligentiam quidem inuſitatam admiror, ingenii vero acumen iudiciique ἀκριβειαν deſidero, ita etiam de hiſtoria graeci textus rite informanda eum ne cogitaſſe quidem arbitror, certe MILLIO, quod ad hanc rem attinet, neutiquam aequiparandum eſſe cenſeo. Ipſa ſane criſis Wetſteniana, textui ſacro adſperſa, hoſpitem eum in textus huius hiſtoria fuiſſe arguit. Niſi enim peculiares quaedam accederent cauſae, quibus permotus lectiones receptas curatius examinaret, vulgarium codicum numero nimium tribuit; quem errorem errare poteſt nemo, qui antiquiorem textus graeci hiſtoriam cognitam habet. Neque mirari non poſſum, viro in examinandis codicibus digerendiſque eorum lectionibus tot annos occupato, nihil ſuboluiſſe de plurium recenſionum vetuſtarum diſcriminibus. Palmam ſine dubio omnibus quos modo laudaui praeripuit IOANNES ALBERTVS BENGELIVS, qui in *Apparatu* ſuo *critico* praeiudicatis opinionibus permultis maſcule ſe oppoſuit, codicum, eorum praeſertim qui epiſtolas paulinas continent, συζυγιας ac familias diligenter obſeruauit, africanae recenſionis ab aſiatica diſcrimen primus fere indigitauit, et alia paſſim attigit, quae, ſi colligantur in vnum et apte inter ſe iungantur,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0024
DFG

tur, quaedam quasi rudimenta historiae textus sacri continent. Attamen egregie affectum opus neutiquam perfecit vir sagaciſſimus; sed perfeciſſet forsitan, si decem aut quindecim annos WETSTENII volumina diligenti manu versare potuiſſet, et, nouis his subsidiis adiutus, praeconceptas opiniones nonnullas exuiſſet, recensiones diuersas, quae codices Noui Test. omnes in classes aliquot seiungunt, accuratius obseruaſſet, ac in primis ingens discrimen quod inter alexandrinam recensionem et occidentalem intercedit, perspexiſſet. Harum enim recensionum, omnium antiquiſſimarum et notatu digniſſimarum, distinctionem, cum caeteris criticis, negligens BENGELIUS, in ipso historiae limine offendit, et quo minus pedem tuto promouere posset saepenumero impeditus fuit. Tandem *) laudandus mihi est S. Reu. IOANNES SALOMO SEMLERVS, qui tum aliis compluribus libellis, tum vero praecipue parte 3 et 4, libri patrio sermone exarati, quem inscripsit: *hermeneutische*

* Alios laude sua neutiquam frustrandos, ne in ipso tractationis vestibulo diutius quam par est haerere videar, praetermitto, qui vel cauſſam hanc breuius tantum attigerunt, velut CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS *in dissertatione critica de genuinis librorum N. T. lectionibus*; b. CHRIST. BENED. MICHAELIS *in tractatione critica de variis lectionibus N. T. caute colligendis et diiudicandis*; Ill. IO. DAV. MICHAELIS *in der Einleitung in die göttliche Schriften des neuen Bundes*, tom. I. nonnullas historiae huius partes fusius pertractans; S.V. IO. AVG. ERNESTI *in Institutione interpretis Noui Test.* part. 2. cap. 1-6. vel versionibus illustrandis operam suam potiſſimum impenderunt, vt Ill. MICHAELIS in *Curis in versionem syriacam Actuum apostolorum*; Clar. GOTTL. CHRIST. STORRIVS in *obseruationibus super Noui Test. versionibus syriacis*, et in Diss. *de Euangeliis arabicis*; Doctiss. RIDLEYVS in diss. *de syriacarum N. Foederis versionum indole atque vsu*; S. Rev. FRANC. ANT. KNITTELIVS in *Vlphilae versione gothica nonnullorum capitum epistolae ad Romanos*, vbi multa etiam leguntur ad textum N. T. graecum spectantia; et viri docti qui de versione latina, praesertim de vetustiſſima illa ante Hieronymi tempora, disseruerunt; vel historiam editionum N. T. illustrandam sibi sumserunt, quorsum pertinent libelli varii de editione Complutensi conscripti. Taceo alios.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0025
DFG

neutiſche Vorbereitung, longe quam alii luculentius recenſionum diſcrimina demonſtrauit, vanas plerorumque de codicibus graecolatinis et aliis rebus ad criſin ſacram pertinentibus perſuaſiones impugnauit, verſionis latinae vetuſtioris indolem curioſe perueſtigauit, aliaque innumera fere incredibili diligentia coaceruauit, quae ad illuſtrandam textus graeci hiſtoriam apprime faciunt. Cum vero Vir doctiſſimus id potiſſimum egerit, vt ſelectis nonnullis hiſtoriae et criſeos ſacrae capitibus lucem exquiſitis obſeruationibus afferret; caeteri autem, quos bene de textus graeci hiſtoria et criſi meritos eſſe diximus, vel eodem laborent defectu, vel ab aliis naeuis immunes haud ſint: prouincia haec nondum ita adminiſtrata eſſe videtur, vt alii a capeſſenda eadem vltro abſtinere ſeſe debeant.

§. 10.

Haud inutiliter itaque operam meam collocaturum me eſſe ſpero, ſi accuratiori ac pleniori hiſtoriae textus N. T. graeci conſcribendae eam impendam, et ea non ſolum quae ab aliis recte vtiliterque dicta mihi videntur colligam, ſtabiliam, riteque diſponam, verum eas etiam huius hiſtoriae partes, quae, neglectae adhuc, clariorem lucem deſiderant, illuſtrandas mihi ſumam. Ante vero quam huic labori me accingerem, in textu epiſtolarum paulinarum periculum facere, et primas quaſi lineas hiſtoriae eius antiquioris rudi manu exaratas lectorum ante oculos hoc libello exponere decreui; hoc potiſſimum conſilio, vt doctorum virorum de ea, quam in hoc negotio ſequendam eſſe opinor, ratione ac methodo ſententias explorem. Quod ſi rectam viam ingreſſum me eſſe pronunciabunt arbitri periti, ſtrenue, ſi Deus annos et vires largietur, eadem pergam; ſin vero ſecus ipſis videbitur, doctis eorum monitis lubentiſſime cedam. Nec deſperandum eſſe puto, fore vt multa, quae denſis tenebris obtecta ſunt, in clariore luce collocari queant, dummodo

do antiquiorum patrum volumina curiosius excutiantur, ac diuersarum recensionum fragmenta, in ipsis obuia, diligentius inter se comparentur. Notabiliores, quas textus Noui Test. graecus subiit, vicissitudines tantum non omnes satis accurate indagari posse, persuasum mihi est, quanquam earum auctores, causas, caeterasque περιςασεις vix coniectando interdum assequi nos posse, ingenue fateor. Dudum perierunt pleraque antiquitatis monimenta, quae lucis aliquid afferre possent historiae primorum seculorum; quo tempore longe plures atque maiores quam postea mutationes perpessus est textus sacer. Recte enim BENGELIVS *Introduct. in Crisin* §. 10. „tota prope, inquit, lectionis varietas longo orta est interuallo, ante *graecos codices* hodie superstites.„ Neque *versionum* vlla in manus nostras peruenit pura et intemerata; ac, si restitui etiam possent in pristinum statum natiuamque integritatem, haberemus quidem totidem quasi imagines, textum sacrum ita, vti certo quodam loco ac tempore comparatus fuit, ob oculos nobis sistentes, multarumque deprauationum patriam et aetatem indicantes; at mutationis tamen auctores, causae etc. intelligi hinc vix rarissime possent. Patrum vero *allegationes*, tametsi codicibus et versionibus in hoc negotio, quod ad antiquissimam attinet historiam, praeferri suo iure queant, tamen iisdem fere defectibus laborant, quos in translationibus vetustis modo notabamus. Tandem nec pauci illi *scriptorum ecclesiasticorum* loci, qui de rebus ad textus historiam spectantibus agunt, multum vtilitatis afferunt historiographo. Neque enim res, quantumuis notabiles, aperte declarare solent auctores illi, sed innuunt eas tantum latenter. Ex his igitur fontibus cum haurienda sit sacri textus historia, nemo harum rerum peritus talem exspectabit fatorum textus graeci enumerationem, qualem descripsimus §. 2. hoc est, nullis lacunis deformatam, et mutationes non solum omnes, sed singularum etiam περιςασεις, plene declarantem. Sed si summam perfectionem assequi non licet, sedulo tamen faciendum

est, vt quantum per rei naturam fieri id potest, proxime ad eam accedamus.

§. II.

Vt de historiae huius *fontibus*, quos modo commemorabamus, eorumque vsu paulo enucleatius ante disputemus, quam ad alia accedamus, instituti ratio postulare videtur. Itaque primo inter fontes loco numerantur codices graeci manuscripti, qui, si fideliter ex alio quodam exemplari transcripti sunt, statum atque conditionem textus graeci certo quodam tempore et loco nobis quasi praesentem ostendunt; sin vero criticis codicibus accensendi sunt, h. e. si textus, quem exhibent, e duobus pluribusue codicibus, pro arbitrio critici aut librarii cuiusdam, consarcinatus est, aut ex alio libro critico deductus; (id quod ex indiciis quibusdam facile plerumque iudicatur;) factum, in historia textus sacri notatu haud indignum, ob oculos nobis ponunt. Codices publicis vsibus dicati, textum repraesentant eius temporis ac loci publicum; priuatis vero vsibus destinati, non inutiliter quidem ab illis, si fieri possit, seiunguntur in concinnanda textus sacri historia; at falluntur tamen viri docti permulti, qui generatim minoris in re critica ponderis ac pretii eos esse contendunt. Inde enim a multis retro seculis, codices publici textum exhibebant recentiorem, ab antiquioribus illis et purioribus recensionibus vehementer discrepantem; in priuatis vero codicibus nonnullis textus vetustior et castior conseruatus fuit. Vt vero ex hoc fonte, qui libros Mstos complectitur, sacri textus historia rite deriuari possit, sequentia in primis obseruanda sunt.

1) Aetas codicis, si e criteriis haud fallacibus constare de ea nobis possit, insignes praestat in historia textus vtilitates. Inde enim colligi potest, tum quonam circiter tempore lectiones nonnullae memorabiles ortae sint, tum quonam seculo ex ea recensione, quae antea exhibere eas

eas ſolebat, evaneſcere coeperint. Hoc vero magni non ſolum momenti eſt in delineanda, ſecundum ordinem chronologicum, ſingularum recenſionum hiſtoria, ſed eo etiam mirifice conducit, vt lectiones cuiusque recenſionis primigeniae diſcernantur ab illis, quae labente tempore in eam ſenſim irrepſere; quod diſcrimen ſupra quam dici poteſt in criſeos ſacrae exercitio nos adiuuat. Fateor quidem, maiorem vtilitatis fructum, quod ad hanc rem, percipi e patrum, codices hodie ſuperſtites plerosque aetate longe ſuperantium, collatione, quam e libris Mſtis; ſed ſpernenda tamen non ſunt adminicula e codicum aetate repetenda.

2) Rectiſſime praeceperunt viri docti, externam codicis ſiue membranarum aetatem diſtinguendam eſſe ab interna textus ipſius, quem illae continent, aetate. Poteſt enim liber ante pauca ſecula ſcriptus exhibere textum antiquiſſimum, vti viciſſim membranae vetuſtate paene conſumtae non raro textum perquam recentem continent. Mirum hoc videbitur nemini, qui ſecum reputauerit, ſexto aut ſeptimo ſeculo extitiſſe iam illam recenſionem, quae in codicibus recentioribus pleriſque habetur, et a textu vulgari typis excuſo, parum differt; inde vero a ſeculo octauo vix nouam recenſionem vllam procuratam fuiſſe, nec variantium lectionum numerum inſigniter poſtea auctum eſſe, ſi ſphalmata demas a librariis dormitantibus admiſſa, et gloſſas nonnullas e margine in textum temere translatas. Hinc intelligitur, antiquitatem textus cuiuſdam aeſtimandam eſſe e ſeculorum numero non eorum, quibus a noſtro tempore, ſed illorum quibus ab autographo aut primo apographo diſtat. Antiquiſſimo enim illo tempore ſeculum dimidium aequiparandum eſt tribus vel quatuor poſterioris aeui ſeculis. Vt vero aetas textus, quem codex quiſque exhibet, quantum fieri poteſt accuratiſſime, definiatur, conferendus eſt ſedulo cum verſionibus vetuſtis

et inprimis cum patrum scriptis. Si per omnia fere consentientem eum deprehendimus cum scriptoribus et versionibus certi cuiusdam aeui, eidem tempori eum assignamus. Sic textus codicum Euangeliorum CL. et Epistolarum AC ad ipsa tertii seculi primordia referendus est; admistae tamen ei sunt lectiones nonnullae quarti aut quinti seculi. Sin vero neque cum certa patrum familia, neque cum versione vlla aliisue libris notabiliter concinit codicis textus, pro mixto habendus, atque ope collationis illius definiendum est, vtrum basis eius sit vetusta, sed recentioribus additamentis seu interpolationibus deformata, an vero recens sit basis, at antiquis lectionibus, velut gemmis quibusdam, passim exornata.

3) E patriae, vbi scriptus fuit codex quisque, et locorum, vbi asseruatus postea fuit et vsibus vel publicis vel priuatis inseruiit, notatione, nonnihil lucis accipere potest geographia critica. Hinc enim, praesertim si alia indicia in subsidium vocentur, intelligitur, quam late recensionis cuiusque quolibet seculo patuerit vsus, et quomodo recensio, in prouincia quadam vsitata, in alias sensim orbis christiani regiones immigrauerit; quae res multiplicibus recensionum commixtionibus ansam dedit.

4) Emendationes, in plerisque codicibus obuiae, partim ab ipsa librarii, qui codicem scripsit, partim ab alia correctoris cuiusdam manu profectae, negligi non debent. Attendendum est, tum, vtrum liber aut saltim pars eius accurate sit recensitus ad fidem exemplaris, quo vsus est διορθωτης, an vero hic ibi tantum appareant recognitionis quaedam vestigia; tum quoque, num vnius an plurium correctorum manus emendatrices expertus sit codex, et cuinam seculo recognitio quaeuis probabiliter assignanda esse videatur. Fallitur enim WETSTENIVS prolegom. edit. hal. p. 23. incertum esse contendens, vtrum ab eadem an iuniore

iuniore manu profectae sint correctiones, aut quisnam hanc vel illam syllabam eraserit. Nos quidem, qui plus minus centum codices Mstos graecos in exteris bibliothecis diligenter tractauimus, αὐτοψία edocti confirmare possumus, non solum correctorum numerum sed aetatem etiam, ab homine in hoc rerum genere paululum exercitato, facile plerumque discerni posse, tam e litterarum varia forma atramentique diuerso colore, quam ex aliis indiciis sat luculentis atque certis, v. c. e notis margini aut paginis vacuis, ab eadem manu, quae textum correxit, illitis. Talia igitur e descriptione codicum studiose colligi, itemque ab iis, qui libros Mstos vel nondum collatos posthac excutient, vel excussos denuo examinabunt, curiose obseruari velim. Dici enim vix potest, quantum vtilitatis e minutis huiusmodi obseruatiunculis redeat ad eum, qui historiam graeci textus condere recensionumque permixtionem illustrare velit. Inde, verbi causa, quod codices plerique vel a librario ipso vel ab alio correctore collati denuo fuerunt siue cum ipso illo exemplari, e quo transscripti erant, siue alio huic simillimo, colligitur, futilem esse eorum opinionem, qui maximam lectionum variantium partem e socordia aut festinatione librariorum ortam esse autumant.

5) Orthographiae ratio, imo γραφικα etiam vitia, librarii et codicis aetatem atque patriam interdum produnt, ac textus sacri historiographum haud mediocriter iuuant.

6) In primis vero summa cura inquirendum est, quamnam recensionem sequatur codicis cuiusque textus; quod, qua ratione fieri debeat, postea ostendemus.

7) Codices Msti paene innumeri latent in bibliothecis, nondum collati; nec dubitare fas est, multos eorum dignissimos esse, quorum lectiones a vulgaribus discrepantes colligantur et iuris fiant publici.

Sed cum plerique procul omni dubio similimi sint codicibus iunioribus, a textu edito parum discedentibus, et nulla prorsus auctoritate pollentibus, e quorum numero nimio plures collati iam sunt; dilectum librorum Mstorum posthac conferendorum habendum esse censeo. Eos tantum excerpere iuuat, qui a recensione vulgarium codicum graecorum, (cuius indolem ac lectiones satis superque iam habemus cognitas) discedunt, contra vero cum vno alteroue e codicibus interpretibus aut patribus vetustioribus saepius conspirant, adeoque vel recensionem quandam antiquiorem repraesentant, vel fragmenta eius insigniora, quamuis iunioribus lectionibus saepe interpolata, exhibent, vel denique ob lectionum singularium aut rariorum siue numerum siue indolem, notatu digni videntur. Caeteros, qui, vulgarium codicum grege vix vnquam relicto, cum vetustioribus libris non concinunt, nisi forte ex ipsis gregariis codicibus decem aut plures consentiant; hos, inquam, blattae atque tineae vt corrodant tempusue edax rerum consumat, per me licet. Neque enim bene de re critica merere eos arbitror, qui corrasis e triobolari codice quocunque lectionibus quas ex aliis libris sat multis dudum nouimus, materiam, in qua versatur critici diligentia, inutiliter ita augent, vt futilium testium innumera multitudo nos obruat iudiciumque nostrum peruertat potius quam dirigat. Extant quidem interdum in huiusmodi codicibus duae aut tres lectiones bonae, in pauciſſimis libris Mstis hodie superstites; sed hae efficere non possunt, vt mitius de illis sentiamus aut collatione dignos eos iudicemus. Cum enim omni pondere careat talium codicum testimonium, lectio, quamuis in se optima, nihil novi roboris eorum consensu accipere potest. Vtrum vero in vulgarium, an in meliorum codicum numerum referendus sit liber nondum excussus, facile intelliges, si tria aut quatuor capita integra perlegere, praetereaque triginta circiter locos ob lectionum varietatem insignes euoluere, atque

lectio-

lectiones codicis tui cum apparatu Wetsteniano comparare velis. Ex sociis enim noscitur, cuius indoles comperta nobis nondum est. Sic e codicibus epistolarum vindobonensibus quinque, quorum lectiones ex epistola ad Romanos decerptas cum viris doctis nuper communicauit Cel. TRESCHOVIVS, solus Lambecii 34 accurata collatione mihi dignus esse videtur.

8) Quae de codicibus nondum excussis disputauimus, de iis quoque libris dicta esse cupimus, qui collati quid m, sed negligentius, quam par erat, collati sunt. Plerique tam exiguae sunt auctoritatis, vt qui nouo examine subiicere eos vellet, vix opere pretium facturus esset; alii vero tam insigne habent ad rem criticam momentum, vt historia textus omnibus partibus perfecta conscribi vix queat, nisi tanta cura denuo excutiantur, vt de omnibus ac singulis eorum lectionibus certe nobis constet.

§. 12.

Progredimur ad alium fontem, e quo sacri textus historia haurítur, nimirum ad versiones vetustas, de quibus ea repetere nolumus, quae de codicum Mstorum vsu modo diximus, facile ad translationes accommodanda. Paucula tantum addere iuuabit. *Primum* igitur optamus vehementer, vt viri docti linguarumque periti, quibus bibliothecas adire aliisve subsidiis vti licet, emaculandis istis versionibus operam dare velint. Plerasque enim mendis scatere innumeris, dubitari nullo modo potest. Syriaca v. c. epistolarum paulinarum translatio tot interpolata est lectionibus recentioribus, vt a vero non posset non longissime aberrare, qui, in delineanda textus graeci historia, ex hodierna vetustissimae huius versionis indole graeci textus, eo tempore, quo confecta fuit haec translatio, statum conditionemque elicere auderet. Quantum differunt codices graeci, octauo aut nono seculo scripti, ab iis, qui se-

cundo

cundo aut tertio ſeculo chriſtianorum manibus terebantur, tantum verſio ſyriaca, prout in editis exemplaribus habetur, diſtat a primorum illorum ſeculorum textu, quo Nouum Teſt. in ſyrorum linguam translatum eſſe ferunt. Neque vitiis tantum deformata eſt in translatione ipſa ſenſim enatis, ſed ad textum graecum iuniorem ſexcentis in locis reficta eſſe videtur. Quod ſi ita eſt, egregie falluntur, qui verſionem ſyriacam typis excuſam antiquiſſimis accenſent translationibus, confundentes nimirum verſionem ſyriacam hodiernam cum antiquiſſima illa, ab apoſtolorum temporibus, ſaltim e vulgari ſententia, haud multum remota. Aethiopica et armenica translationes, quarum neutra alii vlli poſtponenda eſt, puriores quidem quam ſyriaca ad nos peruenerunt; attamen editorum fides non ſine ſpecie in dubium vocatur. Etſi vero firmiter mihi perſuaſum eſt, nimium ſuſpicionibus ſuis indulgere eos, qui ad vulgatam translationem verſiones has ſaepe correctas eſſe opinantur; id quod lectionum comparatio cum vetuſtiſſimis patribus graecis falſum eſſe arguit; tamen ſcrupulum hunc, ope vetuſtorum codicum, penitus nobis eximi velim. *Deinde*, niſi pleniora et accuratiora excerpta e verſionibus, praeſertim e coptica, aethiopica et armenica, procurentur, iuſta ſacri textus hiſtoria conſcribi vix poteſt. Equidem aegerrime fero, praeſtantiſſimam illam verſionem armenicam in lectionum variarum farragine, ad epiſtolarum textum ſpectante, admodum rare laudari. Imo ad latinam etiam verſionem antiquam, vel poſt Sabatierii diligentiam, quamplurima e membranis vetuſtis et patrum latinorum ſcriptis colligi adhuc poſſunt, quibus carere non poteſt, qui translationis huius ſtatum primaeuum penitius perſpicere, indeque graeci textus hiſtoriam illuſtrare vult. Singularum *denique* verſionum origines, viciſſitudines et fata ſi indagarentur ſtudioſius, non ſolum earum indoles ac pretium pateſceret luculentius, ſed ipſi etiam graeci textus hiſtoriae multum nouae lucis adferri poſſet.

§. 13.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0034
DFG

§. 13.

Ad tertium accedimus historiae huius fontem, eundemque tum copiosissimum tum omnium maxime necessarium, allegationes puta dictorum Noui Test. in scriptis patrum graecorum obuias; quarum ope nisi frui nobis liceret, abiiciendum esset profecto totum illud colligendae sacri textus historiae consilium. His enim si essemus destituti, neque antiquissimorum codicum variarumque recensionum aetas et patria rite definiri posset, neque certi quidquam haberemus, quod de conditione et vicissitudinibus textus graeci, primis post natum Christum seculis, proferremus. Quemadmodum vero nihil hactenus obfuit magis, quo minus historia textus rectius efformaretur, quam neglecta graecorum patrum accuratissima perueſtigatio; ita etiam causa, cur de perfecta textus historia desperemus (§.10.) in hoc potissimum posita est, quod pleraque patrum antiquiorum graeca scripta dudum interciderunt. Sed, quo plura temporis iniuria perdidimus, eo diligentius paucula illa, quae ex antiquissimis temporibus superſunt, tractare debemus. Quod qua ratione optime atque vtilissime fieri possit, paucis exponam.

1) Radicitus ex animo euellenda est praeiudicata multorum opinio, qui e patrum allegationibus certo cognosci posse negant, quid in suis codicibus scriptores illi legerint nec ne. Etsi enim lubentissime concedo, scripturae sacrae loca a patribus saepe excitari negligenter, nec codicibus inspectis, sed memoriter atque confuse: extant tamen criteria sat multa atque luculenta *), quorum ope discerni possunt allegationes fideliter e codicibus depromtae a vagis ad dicta Scripturae prouocationibus, in quibus patres vel propter memoriae lapsum, vel ex

*) Explicatius de criteriis istis exposui in Diss. *de codicibus Euangeliorum Origenianis*, Halae 1771. pag. 36-50.

ex oscitantia nimiaque festinatione, vel etiam de industria scriptorum sacrorum verba paullulum inflexerunt immutaruntque. Ac si vel maxime ad liquidum res non semper deduci possit, iudicari tamen ex istis criteriis potest, vtrum absque erroris metu allegationem quandam pro certa et accurata habere, et in delineanda sacri textus historia tuto ea vti queamus, an vero in dubio res relinquenda sit; id quod consilio nostro abunde sufficit.

2) Longe maioribus premimur difficultatibus, si quaeritur, vtrum allegatio quaedam incorrupte hodie supersit in commentariis patris cuiusdam typis excusis, an vero librariorum editorumue culpa immutata sit et ad textum codicum Noui Test. iuniorum reficta? Sed plerumque tamen scrupulus euelli nobis potest eorundem criteriorum, quae modo laudabamus, beneficio. Vtilissime inprimis adhibetur aurea illa regula, quae fide dignos esse pronunciat allegationes consentientes cum codicibus ac patribus, qui in excitandis Scripturae locis cum eo patre, de cuius allegatione dubitatur, tantum non semper conspirant, eandemque textus sacri recensionem sequuntur. Conferendas praeterea esse in locis patrum suspectis editiones diuersas, tum antiquiores, tum recentiores et lectionum variantium silua instructas, euoluendosque esse, si fieri id possit, codices manu scriptos, vix est quod moneamus.

3) Habemus quidem excerpta satis ampla ex allegationibus patrum in MILLII, BENGELII et WETSTENII collectionibus, sed ita comparata non sunt, vt accurata et plena textus graeci historia confici ex iis possit. Ante igitur, quam de tali historia accuratissime conscribenda cogitare liceat, denuo excutiendi sunt patres graeci, nisi omnes, profecto ex antiquioribus potiores, vna cum conciliorum et martyrum actis. Ne vero immensus iste labor in cassum eat, sed historiographi commo-

commodis optime prospiciatur, sequentes leges iis scribendas esse censeo, qui in administranda negotiosa hac prouincia, quam vnus suscipere haud potest, auxiliatrices praebere velint manus. a) Non colligantur promiscue plurium patrum allegationes, sed quae in scriptore ecclesiastico quoque obseruantur huc pertinentia, notentur separatim. Commodissime fieri hoc poterit, si excerpendis singulorum patrum allegationibus singula destinentur Noui Test. exemplaria, eorumque margini omnia ad historiam textus sacri facientia, quae in patris huius operibus obseruantur, ita allinantur, vt vno quasi mentis oculorumque obtutu perlustrari queant. b) Omnia patris cuiusque scripta in optimis editionibus a capite ad calcem perlegantur. c) Discernantur scripta eius genuina a spuriis, certa a dubiis. d) Seiungantur scripta graeca authentica a caeteris, quorum latina tantum supereſt translatio. e) Merae, quas vocant, allusiones non negligantur quidem, sed ita tamen notentur, vt a disertis allegationibus facile distingui possint. f) Notentur omnia, quaecunque allata esse reperiuntur Noui Test. loca, siue concinant cum textu recepto siue non; nec integra solum commata, sed singula etiam, quotquot e libris sacris excitata deprehenduntur, vocabula; tantaque id fiat cura, vt de quolibet textus sacri verbo possit excerpta haec consulenti liquido et certo constare, (α) vtrum in patris huius voluminibus excitatum id legatur nec ne; (β) vtrum lectio in allegatione obuia consentiens sit receptae, an vero ab hac differat. g) Ne ordinem quidem vocabulorum inuersum, aut constructionem mutatam silentio praeterire liceat. Notetur vero, si forte allegatio obliqua mutatae constructionis causa fuisse videatur sola. h) Quoties locus Noui Test. quisque a patre hoc laudatus sit, indicetur, allegationumque saepius repetitarum siue consensio siue discrepantia distincte significetur. i) Si in iis ipsis scriptorum ecclesiasticorum locis, in quibus Scripturae dicta proferuntur, lectionis quaedam varietas occurrat;

currat; si v. c. comma quoddam Noui Test. aliter excitetur in textu Origenis edito, aliter in codicibus Origenis manuscriptis ab editore laudatis: vtriusque lectionis mentio fiat in excerptis. k) Nota quadam insigniantur allegationes, in quibus lectiones reperiuntur cum auctoris consilio, adiecta interpretatione, orationisque συναφειᾳ etc. pugnantes, adeoque suspectae. l) Idem fiat in allegationibus, in quibus de consulto pater aliquid addidisse, omisisse, mutasse videtur. m) Iis etiam allegationibus nota quaedam apponatur, vbi contextus clare docet, locum laudatum certissime ita lectum et scriptum fuisse a patre, quomodo in libro, quem excerpis, iam extat. n) Cauendum, ne confundantur loca Noui Test. parallela, neue ad parallelorum alterum referantur, quae alteri peculiaria sunt.

§. 14.

Fons historiae textus graeci vltimus continetur disertis scriptorum antiquorum testimoniis atque narrationibus, quibus varia de textus huius fatis, indole, lectionibus discrepantibus etc. tradiderunt. Nulli profecto alii postponendus is esset, dummodo saepius talium rerum mentionem iniecissent scriptores ecclesiastici, paulloque diligentius atque explicatius de hoc rerum genere exposuissent. Commemorant quidem codices Origenis, Pierii, Pamphili, Eusebii, eosque aliis praeferendos esse innuunt; nominant editiones Luciani atque Hesychii; narrant, tam Eusebium Constantini Magni iussu, quam Athanasium iubente Constante, multa procurasse Noui Instrumenti apographa; illa in constantinopolitanam potissimum dioecesin, haec in occidentales prouincias deportata esse significant; laudant Euthalii editionem Actuum Apostolorum et epistolarum cum paulinarum tum catholicarum; queruntur cum Marcione aliisque haereticis permultis, quos textum sacrum deprauasse tradunt; librorum suorum integritatem contra haereticos

ticos defendunt ſtrenue; ingentem lectionis varietatem locum habuiſſe fatentur; vnius eiusdemque loci lectiones diſcrepantes paſſim protulerunt; latinorum lectiones cum graecorum libris ſubinde committunt; nonnulla denique alia commemorant, textus graeci hiſtoriam illuſtrantia. Verum enim vero tam rarae in patrum ſcriptis occurrunt hiſce de rebus narrationes, atque tam breues plerumque ſunt et obſcurae, vt nihil fere, quod operae pretium ſit, peti inde queat. Sola enim indicia nude ac absque περιϛασεων commemoratione poſita, plura ſciendi deſiderium acuunt, non explent, neque ſufficiunt ei, qui accuratam textus hiſtoriam quaerit. Interim tamen eo ſaltim nobis proſunt, quod innuunt res quasdam attentione noſtra et curatiore perueſtigatione dignas, de quibus ne cogitaſſemus quidem, niſi qualicunque hoc indicio admoniti ad eius indagationem excitati fuiſſemus. Caeterum non ſine cautione ſeueroque examine admittendae ſunt iſtae patrum narrationes. Certe non temere, vbi de haereticorum deprauationibus loquuntur, fides ipſis habenda eſt. Haereticis enim auctoribus ſaepe tribuunt lectiones, quas non ſolum catholicas ſed genuinas etiam eſſe nemo hodie dubitat. Neque latinis, cum de graecorum lectionibus et codicibus verba faciunt, credere ſecure licet. Plerique enim de rebus plane ſibi ignotis, quas ab aliis (de quorum fide certi eſſe non poſſumus) relatas referunt, ſatis confidenter loqui ſententiamque ferre ſolent.

§. 15.

Si fontes hiſtoriae hactenus enumeratos apte coniungimus, et ea, quae e quolibet fluunt, ingenioſe et diligenter inter ſe comparamus, innumerae inde enaſcuntur obſeruationes hiſtorico-criticae, quae, porro inter ſe curioſe collatae, ad hypotheſes nos deducunt probabiles, quibus ad ſupplendas lacunas, in hiſtoria textus ſacri, in tanta monimentorum teſtimoniorumque vetuſtorum penuria, ſat frequentes,

commodum vti possumus. Sic diuersas olim in ecclesiis catholicis receptas fuisse, hodieque in pluribus codicibus supereſſe graeci textus recensiones, ignoraremus penitus, nisi hac via atque methodo detectum id fuisset. Nec recensionum istarum origines alia ratione expiscari possumus, quam colligendo obseruationes varias, quaerendoque hypothesin, quae harum omnium rationem in se contineat maxime probabilem, et explicandis phaenomenis omnibus apta sit. Saepe e causis cognitis elici possunt effectus ob documentorum inopiam nondum satis perspecti; saepe etiam versa vice effectus obuii produnt causas latentes. Ex odio v. c. quo discipuli Origenis, vna cum scriptis viri huius immortalis, apud catholicos plerosque inde a seculo quarto flagrabant, intelligitur, quamobrem textus, quem Origenis asseclae magistro suo acceptum referebant maximique faciebant, reiectus sensim fuerit et cum alia recensione permutatus. Vicissim e consensu omnium paene codicum post seculum septimum aut octauum scriptorum, si comparetur cum incredibili antiquiorum codicum inter se discrepantia, colligimus, longe maiorem librariis et criticis concessam fuisse licentiam ante, quam post illa tempora; cuius rei causas facili negotio perspiciet, qui historiam istorum temporum ecclesiasticam et ciuitatis christianae statum antiquiorem memoria tenet. Tandem analogiae etiam ratio vtilissime nonnunquam adhibetur, vbi tum patrum testimonia tum documenta vetusta nos deserunt. Qui e. gr. codicem vidit e duobus aut tribus exemplaribus ita compilatum, vt librarius mox huius mox illius libri lectiones pro arbitrio suo eligeret, atque in apographum suum transferret, recensionum nouarum, e plurium antiquiorum commixtione, ortum apte illustrare poterit.

§. 16.

Cum recensionum siue editionum textus sacri diuersarum mentio saepissime iniicienda sit, earumque iusta delineatio nobilissima aeque ac vtilissima

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0040
DFG

vtiliſſima hiſtoriae, quam meditamur, pars ſit: iuſtae methodi leges poſcere videntur, vt, antequam vlterius progrediamur, nonnulla praemittamus, quae ad recenſiones generatim ſpectant, atque eo inprimis facere poſſunt, vt intelligant lectores, vnde petenda ſint atque iudicanda, quae de earum numero, diſcrimine ac indole traduntur.

§. 17.

Multis modis oriri poſſunt nouae libri cuiusdam recenſiones. Nam 1) auctores ipſi, nouam editionem procuraturi, recognoſcunt interdum libros a ſe conſcriptos, poſterioribusque curis non ſolum addunt aut reſecant nonnulla, ſed mutant etiam nonnunquam quae, niſi vitioſe, obſcure tamen aut ambigue dicta eſſe ipſis videntur. Fieri id ſolet praeſertim ab iis, qui opuſcula ſeparatim antea in lucem protruſa colligere, vnoque corpuſculo complecti volunt. Potuiſſet igitur Paulus, epiſtolas a ſe ſcriptas iunctim editurus, denuo eas recenſere, et φρασιν hic ibi paullo obſcuriorem cum clariori permutare. 2) Libri, qui priuatis potius certorum hominum aut ſocietatis cuiusdam, quam publicis quorumcunque vſibus deſtinati primitus erant, ſaepe et ſatis licenter deſcribi ante potuerunt, quam, librario quodam ἐκδοσιν in ſe ſuſcipiente, publice in lucem ederentur. Iam ſi duos fingas librarios, curandae editionis conſilium ſimul capientes, quorum alter autographa ipſa aut apographa accurate transſcripta religioſe expreſſerit, alter vero vel correctiones nonnullas tentauerit ipſe, vel exemplar nactus ſit ab aliis iam interpolatum: duarum recenſionum a ſe inuicem diuerſarum et primae libri diuulgationi aequaeuarum originem clare perſpicies. 3) Criticus, qui adhibitis codicibus plūribus aliisue ſubſidiis textum libri cuiusdam ita refingit, vt habitu vniuerſo a caeterorum codicum omnium textu differat, nouam recenſionem elaborafſe cenſendus eſt. 4) Pone codices duo ſibi ſimillimos, A et B. Ex codice B ſit apographum c, ex hoc d, et ſic porro

porro vsque ad z. Librarium qui transcripsit codicem c, decies finge discessisse a lectione τῶ B. Interpolationes has non solum repetet librarius τῶ d, sed etiam decem aliis eas augebit. Librariis itaque erroribus errores cumulantibus, codex z non poterit non vehementer dissonare a codice A et curatis eius apographis. Fac vero hominem quendam, ab hoc studiorum genere non prorsus alienum et auctoritate apud suos pollentem, suasorem esse librariis, vt textum codicis z, a se probatum aliisque commendatum, forte etiam a sphalmatibus nimis apertis purgatum, describant saepius et quamplurima conficiant τῶ z antigrapha, α, β, γ, etc. Nouam hac ratione exortam esse recensionem nemo facile negauerit, licet neque a critico quoquam ex artis suae praeceptis, factoque optimarum lectionum vndique conquisitarum dilectu, elucubrata sit, nec ab omnibus omnino codicibus, codice z antiquioribus, ita discrepet, vt textum exhibeat a caeterorum omnium textu, si habitum vniuersum spectes, differentem. Satis enim propinqua cognatione attingit textum codicum y, x, u, etc. Sed si interciderint forte codices c, d, - - x, y, z, et supersit tantum codex A cum fidis suis apographis, nemini, vt opinor, dubium videbitur, aliam esse recensionem in A, aliam in α, β, γ. *).

§. 18.

*) Quomodo differat recensio a διορθωσει, expositum et exemplis illustratum inuenies in Dissertatione nostra *de codicibus Euangeliorum Origenianis* §. 4. Repetere tamen h. l. licebit, non qualicunque emendatione aut mutatione textus nouam effici recensionem; alioqui tot paene numerandae essent recensiones, quot sunt codices. Potest codex quidam, epistolas paulinas continens, centum locis differre ab alio codice, neque tamen dissensus hic obstat, quo minus eandem recensionem vtrumque exhibere existimemus, dummodo insigniores huius recensionis lectiones χαρακτηριστικαι in vtroque codice reperiantur. Vt enim aliam recensionem ineſſe statuamus codici A, aliam codici B, necesse est non solum vt discrepantiae occurrant satis frequentes, per textum vniuersum diffusae, verum etiam, vt ratio discrepantiae vniuersae reddi nequeat e librarii siue negligentia siue imperitia, aliisue vulgaribus lectionum dissonantium causis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0042
DFG

§. 18.

Ad deprehendendas dignoſcendasque recenſiones diuerſas qua via perueniatur, paucis declarandum eſt. Nimirum excutiendi ſunt integri nonnulli Noui Teſt. libri ita, vt omnes, quotquot a Wetſtenio aliisque enumerantur, lectiones variantes perluſtrentur, et teſtium tum conſenſiones tum diſſenſiones quam diligentiſſime annotentur. Attendendum tamen eſt praecipue ad lectiones inſigniores atque grauiores, h. e. eas, quae vel ſenſum mutant, vel gloſſematibus conſtant exquiſitis, vel e vulgaribus lectionum variantium cauſis (e. gr. litterarum aut ſoni ſimilitudine etc.) deriuari nequeunt, vel omittendo (niſi ὁμοιοτέλευτον omiſſioni occaſionem praebuerit) addendoue a lectione recepta diſcedunt. Minutiae enim illae, quae in omnibus libris Mſtis ſexcenties recurrunt, v. c. particulae omiſſae vel permutatae, negligendae quidem non ſunt; nam e conſtanti codicum quorundam in talibus etiam nullius momenti rebus inter ſe conſenſu, eo validius pertinere eos colligimus ad eandem codicum familiam; at diſſenſio tamen in rebus tam leuibus diuerſas recenſiones euincere haud poteſt. Idem tenendum eſt de manifeſtis librarii in transſcribendo aberrationibus, nec non de lectionibus ſingularibus, quae luxuriantis aut ludentis ſcribae ingenium produnt. Huius enim modi lectiones oſtendunt quidem, codicem, cui peculiares ſunt, non eſſe aliorum librorum nobis cognitorum apographum; recenſionem vero ab aliis diuerſam hoc libro contineri, neutiquam probant; niſi forte tam frequentes occurrant lectiones ſingulares, vt inſolita earum multitudo recenſionem ſingularem, in hoc ſolo codice conſeruatam, patefaciat. Etſi enim plures plerumque codices reperiuntur, qui vnam eandemque recenſionem exhibent; fieri tamen poteſt, vt de vetuſtiori quadam recenſione non niſi vnicus ſuperſtes ſit codex. Talis, meo quidem iudicio, alexandrinus eſt in Euangeliis, atque Chryſoſtomi codex in epiſtolis. — Igitur labori

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0043
DFG

huic intenti, lectionumque ac testium censum ineuntes, mox obseruabimus codices quosdam *) in omnibus fere lectionibus notabilioribus tam constanter consentientes, vt non facile vnus eorum pro lectione quadam laudetur, quin caeteri etiam, nisi omnes, plerique tamen, simul excitentur. Hi itaque codices vnam eandemque recensionem repraesentant, cuius aetatem ac patriam e codicum reliquis antiquiorum patria et aetate elicere poteris. Lectiones vero, codicibus his communes, procul omni dubio huic, quam ab aliis facile discernere iam possumus, recensioni attribuuntur. Nec intellectu difficile erit, quo affinitatis gradu codex quisque aliis eiusdem recensionis codicibus coniunctus sit. Quo enim rarius a caeteris discrepat in lectionibus insignibus, eo propinquior est eius cum his cognatio.

§. 19.

Detecta iam recensione vna, continuandum est illud, quod supra descripsimus codicum examen, donec nullus superfit notatu dignus, quin ad certam aliquam codicum classem relatus sit. Quot vero constitui possunt classes, tot numerari debent recensiones. Ne tamen praeter rem augeatur recensionum numerus, eo elaborandum est, vt codices omnes in quinque aut sex classes generaliores dispescantur, totidem recensiones insigniter inter se differentes et tempore locoue a se inuicem seiunctas, repraesentantes. Quo facto, classium singularum codices, si opus sit, in duas pluresue familias porro distribui poterunt, quarum quaeque codices propinquitate proximos complectatur. Saepe enim recensionis eiusdem plures et diuersas ἐκδοσεις discernere licet, in lectionibus maxime χαρακτηριστικαις, quibus haec recensio ab aliis distin-

*) Codicum nomine breuitatis causa nunc eos etiam libros comprehendimus, quibus vsi olim sunt tum translationum auctores, tum etiam patres ecclesiastici. Eadem enim, quod ad hoc negotium attinet, ratio est codicum Mstorum, versionum et allegationum.

distinguitur, plerumque consonantes; sed multis tamen in locis ita inter se dissidentes, vt noua quadam distributione opus esse videatur. In epistolis v. c. codices DEFG, vt infra docebitur, eandem repraesentant recensionem; sed in FG aliam cernere licet ἔκδοσιν quam in DE. Similiter AC. 17. 46. 47. ex eadem omnes recensione sunt; sed distinguenda tamen est familia 17. 46. 47. a familia AC. Classibus vero et familiis hac ratione generatim constitutis, facile de codice quolibet, cuius lectiones notae nobis sunt, pronunciari poterit, ad quamnam tam recensionem quam ἔκδοσιν referendus sit; ad eam scilicet, cuius lectiones χαρακτηριστικαί, ex aliis codicibus et patribus nobis iam cognitae, in ipso regnant. Obseruari tamen meretur, extare codices nonnullos e plurium recensionum fragmentis compositos; cuius rei exemplum luculentum suppeditare potest arabica Actuum versio, ab Erpenio edita, quae e. gr. capite 10 consentit cum copta, cap. 11. et 12. graecum textum sequi fere videtur, cap. 13. cum syriaca concinit, cap. 14. copticae rursus se adiungit comitem, cap. 15 ad finem vergente in gratiam redit cum syro interprete etc. quae omnia egregie illustrauit Ill. IO. DAV. MICHAELIS in *curis in versionem syriacam Actuum Apostolorum*. Quod vero translationi huic contigisse videmus, id in graecis quoque codicibus locum habere potuit. Nonnullos saltim Euangeliorum codices obseruasse mihi videor, mox hanc mox illam recensionem presse sequentes; plures fortasse detegentur posthac, si recensionum discrimina in clariori luce posita erunt. Quid? quod rei huius ratio reddi potest facillime. Saepe enim ternio aut quaternio excidit e codice, aliunde postea suppletus; cuius generis codices hodienum supersunt permulti, in quibus ipsa scripturae diuersitas lacunam ab alio librario expletam prodit. Is vero qui folia deperdita restituit, exemplar interdum secutus est, plane discrepans ab eo, quod librarius, qui codicem ipsum scripsit, expressérat; velut videre est in codice Sangermanensi, qui vetustissimam

translationem latinam, *Italae* nomine vulgo venientem, graeco textui adiunctam habet, praeter epistolam ad Timotheum priorem, quam alia manus e versione *vulgata* descripsit. Cum vero in apographis e talibus codicibus transscriptis, nullum lacunae aliunde suppletae indicium superstit in oculos incurrens, lector incautus fallitur facile, lectionesque, in particula recens adsuta occurrentes, eidem perperam adscribit recensioni, quam in caeteris libri partibus regnare videt. Caeterum, quod in alexandrino codice atque in Wetsteniano primo manifestissime apparet, aliam nimirum recensionem exhiberi in Euangeliis, aliam in epistolis, id in pluribus procul dubio libris Mstis, ac fortasse etiam in versionibus nonnullis et patrum commentariis, similiter obseruari potest. Sed in maioribus Noui Test. partibus error facilius cauetur, quam in minutis libelli cuiusdam particulis. Id vero probe notari velim, codices nonnullos, eandem recensionem per totum librum aliquem sequentes, alibi eam repraesentare puram, alibi vero iunioribus interpolationibus nonnihil deprauatam. Quamobrem non nisi toto codice excusso, aut locis saltim permultis, et ex omnibus libri partibus delectis, curate examinatis, de recensione, quam continet, in vniuersum iudicare licet.

§. 20.

Codicibus in classes atque familias suas distributis, repertisque singularum recensionum characteribus, patria et aetate, id peragendum restat, quod, quamuis plane adhuc neglectum, certe tamen in toto hoc negotio praecipuum est. Nam quis est, quin tam ad illustrandam textus sacri historiam, quam ad constituendam rem criticam vniuersam tuendamque sacri codicis integritatem, maximi momenti esse censeat, si codices in integrum restituamus, annis abhinc fortasse plus quam 1200 in cinerem versos? si oculis quasi vsurpandos ipsi porrigamus codices omnibus quotquot supersunt, parisino regio rescripto, alexandri-

no,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0046
DFG

no, claromontano etc. aliquot seculis vetustiores? eos ipsos, inquam, codices, quibus olim vsi sunt Clemens alexandrinus et Origenes, aut quos secutus est vetus interpres latinus? Atque hoc, etsi incredibile nonnullis videbitur, fieri posse contendo, imo praestare ipse ausim, nisi otio doctorumque virorum auxilio destituar. Id scilicet ago atque in primis agendum esse puto, vt vetustissimae illae textus graeci recensiones restituantur integrae, vtque singularum membra, per tot codices, versiones et patres, disiecta atque dispersa, colligantur et coagmententur. Opus elaborari velim, hexaplari illi, quod immortalem Origeni gloriam peperit, haud absimile; in quo veteres recensiones distincte ac separatim iuxta se ita ponantur, vt textus graecus, prout e recensione quaque olim se habuit, antequam interpolatores natiuam recensionis faciem immutarent, perspicue repraesentetur, lectiones autem variantes, in editione seu recensione quauis sensim enatae, in margine collocentur seorsim a caeteris lectionibus discrepantibus, ad aliarum editionum textum spectantibus. Eximiam instituti huius vtilitatem, non est quod multis praedicem. Nam si iunctis plurium virorum doctorum moliminibus eo tandem peruentum erit, vt non solum recensiones siue editiones singulae separatim ante oculos expositae nobis sint, verum vt etiam natiuae vniuscuiusque recensionis lectiones, resectis omnibus serioribus interpolationibus aut corruptionibus, in vnum quasi corpus collectae obtutui nostro pateant, et quotiescunque opus est, in promtu sint: admodum facilis erit recensionum inter se comparatio ac aestimatio, et criseos sacrae theoria confici poterit, inconcussis fundamentis innixa maximeque ad vsum accommodata. Nihil itaque supereſt, quam vt qua ratione id, quod volumus atque optamus, perfici posse nobis videatur, monstremus. Si enim singula, quae eo requiruntur, praestari possunt, res ipsa possibilis sit, necesse est. Fateor equidem, e nonnullis recensionibus supereſſe tantum fragmenta quaedam, atque

adeo has perfecte restitui non posse. At pleraeque tamen eaedemque antiquissimae (v. c. alexandrina), in totum, caeterae ex parte saltim instaurari queunt. Nec infitias ire velim, graecam phrasin, quae in editione quadam (v. c. occidentali), primitus extiterat, in nonnullis Scripturae locis deperditam esse ac irreparabilem; id quod in iis recensionibus vix non contingere non potest, quarum natiuae lectiones e versionibus potissimum petendae sunt, quia pauci ex ea editione superstites sunt codices graeci, passim lectionibus recentioribus interpolati. Sed ne sic quidem primitiuae lectionis *sensus* ignoratur. Denique hoc etiam lubens largior, ob documentorum satis vetustorum, quod ad vnam alteramue editionem attinet, paucitatem, locorum quorundam restitutionem non prorsus esse certam, sed probabilem tantum; fierique posse, vt certo quidem sciamus, lectionem nobis propositam pertinere ad hanc illamue recensionem, dubii autem haereamus, vtrum natiua sit editionis huius lectio, an vero serius irrepserit; verum nec hoc causae nostrae obest, dummodo indubia ab incertis segregentur. Noua etiam et accuratior patrum graecorum collatio multa reddet certa, quae dubia adhuc videntur.

§. 21.

Age iam videamus qua via tentari debeat ea, de qua loquimur, editionum veterum et codicum dudum deperditorum restitutio.

1) E vasta illa atque incondita lectionum variantium farragine seligendae sunt omnes illae, quae pertinent ad eam recensionem, cui instaurandae operam nostram impendere decreuimus.

2) Ex omnibus istis lectionibus, partim a Wetstenio et aliis iam collectis, partim indefessa diligentia e patribus atque versionibus adhuc conquirendis, formetur textus quam fieri potest minime interruptus

aut

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0048
DFG

aut hians lacunis. Si ſuperſtes ſit ex hac recenſione codex bonae notae, vel patris graeci commentarius textum integrum pure exhibens, fundamenti loco poni is poteſt. Sin praeſto tales non ſint, aut nimis interpolati videantur, textum vulgo receptum ſumemus, eique velut baſi cuidam caetera ita ſuperſtruemus, vt a) lectiones vulgaris textus retineamus, quoties easdem in monumentis huius recenſionis haud ſuſpectis manifeſte deprehendimus; contra vero b) eas textus recepti lectiones eliminemus, quae in monumentis modo dictis nuſquam reperiuntur, earumque in locum ſubſtituamus alias, in optimis documentis hanc recenſionem repraeſentantibus occurrentes. c) Vbi documenta haec prorſus ſilent, occupare neutiquam licet, lectionem editionum hodiernarum extitiſſe olim in recenſionis, quam inſtaurari cupimus, codicibus; ſed annotandum eſt ingenue et clare, non liquere hoc loco de recenſionis huius lectione.

3) Saepe monumenta, ad eandem recenſionem referenda, inter ſe diſſident pluresque eiusdem loci lectiones ſecum inuicem pugnantes continent. Ex his igitur ſeligatur et in textum recenſionis reſtituendae admittatur ea lectio, quae omnium maxime genuina videtur; caeterae notentur in margine. Genuinam autem dicimus non ſimpliciter, ſed comparate. Multae enim lectiones pro genuinis, hoc eſt natiuis ſiue primitiuis recenſionis cuiusdam lectionibus habendae omnino ſunt, quas a ſcriptoribus ſacris ipſis profectas eſſe, nemo facile affirmauerit. Quin in locis omnibus, vbi recenſiones plures inde a primordiis ſuis inter ſe diſcreparunt, tot numerari debent eiusdem loci aut vocabuli lectiones genuinae, quot ſunt recenſiones inde ab ortu ſuo, quod ad hancce lectionem, inter ſe diſſidentes. Nempe id tantum ſpectatur, quaenam e pluribus lectionibus, in recenſionis eiusdem codicibus occurrentibus, extitiſſe olim videatur in eo codice, qui vniuerſam hanc claſſem duxerat totiusque

tiusque recenſionis fons fuerat atque principium. Iudicatur hoc ita, vt genuina ac natiua putetur a) quae extat in monumentis, reliquis antiquioribus. Alexandrinam v. c. recenſionem purius exhibent Clemens alex. et Origenes, quam Cyrillus alex. aut Ioannes damaſcenus. Magis igitur genuinam exiſtimamus lectionem Clementis, quam eam, quae apud Damaſcenum legitur. b) quae occurrit in plurimis eiusdem recenſionis monumentis, niſi horum numero aliorum obſtet antiquitas. c) quae reperitur in pluribus eiusdem recenſionis editionibus ſiue claſſis eiusdem familiis, vetuſtioribus praeſertim. d) quae inuenitur in iis huius claſſis codicibus, qui purius quam alii, textu in vniuerſum ſpectato, recenſionem quandam ſiſtunt. Alexandrina e. gr. purior extat in AC quam in 17 aut 46, in quibus alexandrinis lectionibus alienae paſſim admiſtae ſunt. e) quae haud immigraſſe videtur ex alia in hanc editionem. f) quae genio huius recenſionis, ex aliis documentis nobis iam cognito, conſentanea eſt. g) quae quodam antiquitatis quaſi colore prae caeteris conſpicua eſt, nec ex aliis in eadem recenſione obuiis lectionibus enata videtur.

§. 22.

Haecce criteria, praeſertim ſi ratio earum habeatur coniunctim, in reſtituendo recenſionis cuiusdam textu certiſſime ſufficiunt non ſolum dignoſcendis lectionibus primigeniis, ſed eo etiam nos deducunt, vt variantes lectiones, vel in hac ipſa recenſione enatas, vel aliunde in eam illatas, ſecundum temporis ordinem in margine diſponere poſſimus. Opus autem hac, quam diximus, ratione elaboratum, commentarii perpetui inſtar eſſet, hiſtoriam textus ſacri luculentiſſime illuſtrantis; nec quidquam deſiderandum relinqueretur, ſi tabulis, omnium recenſionum et ſynopſin et viciſſitudines, chronologice digeſtas, repraeſentantibus, adderetur tum deſcriptio critica teſtium omnium atque monimentorum,

e quibus

e quibus hiſtoria haec hauritur, adiecta cognationis, quae inter eos intercedit, accurata deſignatione; tum narratio ſuccincta de variis περιστασεσι ad hiſtoriam textus vniuerſi et recenſionum ſingularum ſpectantibus, quae vel e diſertis ſcriptorum veterum teſtimoniis nobis innotuerunt, vel e diligenti et recenſionum et teſtium ſingulorum inter ſe comparatione, variisque obſeruationibus criticis et hiſtoricis inde enaſcentibus, colligi poſſunt.

SECTIO II.

HISTORIAE TEXTVS SACRI ANTIQVISSIMAE VSQVE AD EDITI ΑΠΟΣΤΟΛΟΥ TEMPVS LINEAE PRIMAE.

§. 1.

Sacri textus, ab ipſis velut incunabulis eius, hiſtoriam repetiturus, ad autographa vſque apoſtolorum recurrere, atque hinc narrationem ſuam ordiri debet. Nihil equidem ad cauſam, quam nos iam agimus, referre puto, vtrum ἀρχετυπα exemplaria librorum ſacrorum Romanis, Corinthiis etc. tranſmiſſa, ἰδιογραφα fuerint ipſorumque apoſtolorum manibus exarata, an vero ab amanuenſibus, apoſtolo vel dictante vel αὐτογραφον (rudibus litterarum ductibus exaratum) librario deſcribendum tradente, conſcripta. Neque enim incertum fideque minus dignum videri poteſt archetypum exemplar epiſtolae ad Romanos, a Paulo approbatum, manus ſuae ſubſcriptione confirmatum, et apoſtoli iuſſu Romanis traditum, licet non ab ipſo Paulo ſed ab amanuenſi, fido ſine dubio et cauto quamquam non θεοπνευστω, exaratum ſit. Errores enim a tali ſcriba vel admiſſi fuerunt nulli, (quod in libello tam exiguae molis incredibile non eſt,) vel ab ipſo poſtea expurgati, vel ab

apostolo exemplar relegente correcti, vel a lectore quouis facile detecti atque emendati. Fuerunt quidem vel nostra adhuc aetate viri docti, v. c. FERDINANDVS STOSCHIVS in *commentatione de epistolis apostolorum idiographis*, qui ἰδιοχειρον Pauli scripturam mordicus non solum defenderent, sed etiam eousque progrederentur, vt sententiam huic contrariam admodum periculosam esse, ipsumque christianae religionis praecipuum fundamentum labefactare contenderent. Ingenue equidem fateor, facile refutanda mihi videri argumenta omnia pro idiographis epistolis allata, longeque meo quidem iudicio potiorem esse eorum rationem, qui apostolos, Paulum saltim, in conscribendis epistolis suis amanuensium siue scribarum ministerio vsos esse, pronunciant. Ipsae, nisi egregie fallor, Pauli epistolae impressa quasi habent quaedam auctoris dictantis indicia; parentheses puta admodum crebras easdemque inusitate verbosas, periodos imperfectas s. ἀναντα̃ποδοτα, ὑπερβατα, et huius generis alia, Paulo valde familiaria; quae omnia, teste experientia quotidiana, iis saepe excidere solent, qui animi sui cogitata notario s. ταχυγραφῳ dictant. Non repugno quidem, orta esse haec stili paulini ἰδιωματα ex ingenii, quo praeditus erat apostolus, vbertate, alacritate et feruore; sed morari et temperare solet animi istum feruorem quantumuis magnum, tardior stilus, ita vt rarius ἀναντα̃ποδοτα admittat, qui sua manu animi sui sensa litteris consignet, frequentius vero, qui ταχυγραφῳ stilo vtatur. Sed vtcumque se habent ista, prima lectionum variantium origo ex archetypo, Romanis, Corinthiis etc. tradito, deriuari nequit. Hoc enim, siue apostoli siue scribae cuiusdam manu exaratum, vnum erat sibique ipsum constabat; nisi forte apostolum fingere tibi velis, epistolam, quam scripserat aut scribi curauerat, relegentem eamque, antequam tabellario traderetur, retractantem, et phrasin hic ibi paullulum immutantem. Hac posita hypothesi, duarum recensionum primo seculo iam extantium initia distincte quidem

common-

commonſtrari poſſent; euenire enim potuiſſet, vt alii primae ſcripturae inhaererent, marginalem emendationem ab apoſtoli manu profectam eſſe ignorantes; alii contra rectius, in conficiendis ex archetypo apographis, marginem ſequerentur. Sed adſunt tamen rationes haud leues, cur coniecturae huic, nullo prorſus argumento probabili ſuffultae, calculum noſtrum adiicere nequeamus. Etſi enim impietatis arguere nolo hypotheſeos huius patronos, ſatis tamen refutari eam exiſtimo eo, quod in Euangeliis varietas lectionis obſeruatur aeque antiqua, immo maior etiam quam illa, quae in paulinis epiſtolis obtinet. Nam omni caret veri ſpecie, quatuor auctores Euangeliorum eundem ſeruaſſe in recognoſcendis libellis ſuis modum, quem hypotheſis illa Paulo tribuit. Aliunde igitur diuerſarum recenſionum primordia repetenda eſſe cenſemus.

§. 2.

Plurimum lucis accederet antiquiſſimae graeci textus hiſtoriae, ſi interior archetyporum oeconomia cognita nobis eſſet, neque ignoraremus penitus, quo v. c. characterum genere ſcripta fuerint? an maiuſculis illis litteris, quas quadratas et vnciales vulgo vocant, an vero alio charactere, inde ab antiquiſſimis procul dubio temporibus, quo expeditius curreret ſcriptura, a tachygraphis inuento? vtrum ab autographis prorſus exſularint omnia ſcribendi compendia, tam in numeris, quam in vocabulis et ſyllabis? num ſignis quibuſdam diuiſae fuerint ſententiae et periodi? aliaque huius generis plura, quae antiquiſſimam lectionis varietatem mirifice illuſtrare poſſent. Cum vero apud ſcriptores primorum ſeculorum chriſtianos, quorum nullus archetypum Euangelii aut epiſtolae cuiuſdam ſuis oculis vſurpaſſe videtur, talium rerum notitia fruſtra quaeratur; quod pro certo dicamus, habemus nihil. Veri tamen eſt ſimillimum, eadem fere ratione ſcripta

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0053
DFG

fuisse archetypa illa, qua antiquissimos codices hodie superstites scriptos esse cernimus; hoc est, absque accentibus et spiritibus, vocabulis indistincte cohaerentibus, interpunctionis signis vix rarissime adhibitis, etc. Monendus praeterea lector est, ne e nostrorum hominum institutis temporisque nostri consuetudine, priscorum siue amanuensium siue auctorum mores metiatur, et talem sibi effingat autographorum formam, quam fortasse habuissent, si nostra aetate apostoli vixissent, librorumque suorum archetypa nostris hominibus destinassent. Nec e male intellectis dogmaticis illis locis, de scripturae sacrae perspicuitate, integritate etc. autographorum licet effigiem exsculpere, aut talem eis attribuere formam, qualem nos, e nostro intelligendi modulo, conuenientissimam sacrorum librorum archetypis censemus. A quo vitio ne doctissimum quidem MILLIVM sibi cauisse, iure nostro miramur. Satis enim secure ad Io. 19, 14. compendia scripturae apostolis ipsis tribuenda esse negat, „quoniam apostolorum erat codices sacros aperte, clare, accuratissime scriptos tradere.„ Idem ad Marc. 15, 25. „credi omnino, inquit, par est, apostolorum autographa quoad singulas quasque vocum litteras integre, clare, accuratissime fuisse scripta; quod idem de apographis sub id aeuum exaratis dictum velim." Haec ille. Nos vero haec non solum precario sumta esse arbitramur, verum etiam praeiudicatas tales opinationes valde impedire scimus, quominus studium sacri textus historiae impensum, incrementa capere possit. Iure quidem meritoque ita scripta fuisse censemus archetypa, vt ab istius aeui hominibus, saltim coetuum christianorum rectoribus, absque multa haesitatione legi possent atque intelligi. Verum multa istis hominibus plana et perspicua sine dubio erant, quae hodie doctissimis viris, prisco illi scripturae et characterum generi non adsuetis, obscura essent aut ambigua viderentur. Stupent v. c. hodie plerique ad libros absque interpunctionis signis, immo absque vocum distinctione ita scriptos,

vt

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0054
DFG

vt vocabulum vocabulo arcte cohaereat, et verſus ſiue στιχος quiuis vno tantum vocabulo conſtare videatur. Olim vero, cum haec ſcribendi ratio vſitata eſſet, promte ſine dubio legebantur codices hoc modo exarati.

§. 3.

Quaeri praeterea poteſt, num ipſa forte exemplarium archetyporum diſpoſitio occaſionem praebuerit tranſpoſitionibus quarundam textus ſacri particularum perquam vetuſtis? quae primo iam ſeculo locum habere potuiſſant facillime, ſi folia quaedam exemplaris autographi a reliquo corpuſculo ſeiuncta extarent, vel ſerius ab auctore addita, vel caſu ſeparatim a caeteris ſcripta. Hinc fortaſſe illuſtrari poteſt hiſtoria duorum poſtremorum epiſtolae ad Romanos capitum, alioquin valde obſcura. Nempe finita fuit epiſtola capite 14, comm. 23. deſinente ea in verba: παν δε ὁ ὐκ ἐκ πιστεως, ἁμαρτια ἐστιν. Mox tamen adiecit apoſtolus tria illa commata, quae in vulgaribus editionibus perperam ad calcem capitis 16 exhibentur, huc omnino pertinentia: τω δε δυναμενω vſque ad: ᾧ ἡ δοξα εἰς τὰς αἰωνας, ἀμην. Addita autem haec fuiſſe coniicio in ſeparata quadam ſchedula, indeque varias commatum horum transpoſitiones ortas eſſe arbitror. Nam ſi certum ac ſtabilem locum verba iſta antiquitus habuiſſent, cauſſa fuiſſet nulla, cur ſede ſua pellerentur. Qui enim ideo ad capitis 16. finem reiecta eſſe tradunt, quoniam ſermonem capite 14 coeptum et cap. 15 continuatum turbare, contra vero commodiſſimum locum in vltimi capitis fine invenire viderentur; nae, illi miram nobis narrant veterum chriſtianorum in refingendis ob leuiſſimas cauſas libris ſacris licentiam. Quidni epiphonema noſtro ſimillimum Eph. 3, 20 21. pariter ad calcem epiſtolae ad Epheſios reiectum fuit? Alia ſchedula, ab epiſtolae corpore itidem ſeiuncta, continebat nomina amicorum quorundam, qui ſuo nomine Romanos

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0055
DFG

salutari cupiebant; cap. 16, 21. 22. 23. ἀσπαζονται ὑμας vsque ad κυαρτος. Denique in vna alteraue harum schedarum Paulus sua manu, pro more suo, adiecit votum illud solenne: ἡ χαρις τυ κυριυ ἡμων ἰησυ χριστυ μετα παντων ὑμων, ἀμην. cap. 16, 24. quod alii codices anteponunt epiphonemati: τῳ δε δυναμενῳ κ. τ. λ. alii autem eidem postponunt. Cum vero, epistola iam finita, nondum praesto esset tabellarius, qui Romam eam perferret, resumsit apostolus orationis filum, tantum non praecipitanter (forte ob deficientem membranam, aut tabellarium mox exspectatum) capite 14 abruptum, eaque perscripsit, quae capite 15 toto legimus, vna cum clausula huius appendicis: ὁ θεος της εἰρηνης μετα παντων ὑμων, ἀμην. vs. 33. Tandem accessit alia scheda, quae complectebatur ea, quae habentur capite 16, 1 — 20. Seorsim in separata quadam charta scripta haec fuisse, dubitari, vt equidem opinor, nullo modo potest, propter repetitum votum illud sollenne: ἡ χαρις τυ κυριυ ἰησυ χριστυ μεθ' ὑμων, com. 20. Cum enim verba haec, in omnium paulinarum epistolarum clausulis occurrentia, non nisi ad calcem epistolarum suarum apponere, suaque manu exarare consueuerit apostolus, vt ex ἰδιοχειρῳ hac scriptura cognoscerent lectores, vere a Paulo missam esse epistolam; (conf. 2 Thess. 3, 17. 18. coll. 1 Cor. 16, 21 - 24. Gal. 6. 11 et 18. Col. 4, 18. 19.) quis quaeso sibi persuadeat, eodem in capite, paucis tantum interiectis verbis, (vs. 20 et 24.) bis a Paulo epistolae eidem adiectam esse clausulam tam solennem *). Hoc argumentum, quod

*) Omittunt quidem clausulam hanc commate 20 codices graeco latini quatuor; commate vero 24 deest in libris et versionibus nonnullis ad alexandrinam recensionem pertinentibus. Cum vero eorundem verborum repetitio facile librarios quosdam permouere potuerit, vt semel ea omitterent; nulla apparente causa, cur apostolus eadem bis scripserit; nihil delendum esse censemus. Occasionem etiam omissioni commatis 24 praebere potuit, epiphonematis illius τῳ δε δυναμενῳ in huno locum reiectio. Cum enim in solennissimas preces iam desineret epistola, voto illo ἡ χαρις κ. τ. λ. non opus esse videbatur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0056
DFG

quod neſcio quo caſu plane neglectum fuit a viris doctis, nuper de capitis huius vera indole ac ratione inter ſe diſputantibus, controuerſiam hanc, qua partem ſaltim maximam, dirimit. Nam 1) docet, commata capitis 16, 21. 22. 23. Romanis fuiſſe deſtinata. Si enim vel maxime viginti priora capitis commata ad Corinthios alioſue data eſſe ſtatuere velimus, (quam cauſam hic non attingimus,) clauſula tamen commati 20 adiecta ab antecedentibus manifeſte diſtrahit ſequentia. Atque hoc conuenientiſſimum quoque eſt argumento trium iſtorum commatum, praeſertim commati 22. 2) Viginti iſtis commatibus, ſeparatum quoddam epiſtolium abſoluitur, quod vti a ſequentibus ſeiungitur per clauſulam commati 20 adiectam, ita ab antecedentibus ſeparatur per votum apoſtolo ſolenne, in quod caput 15 (appendicem epiſtolae exhibens, a reliquo eius corpore ſeiunctam) deſinit. Hanc enim formulam nuſquam in apoſtoli ſcriptis legere me memini, praeterquam in epiſtolarum clauſulis, 3) Intelligitur iam, quid ſit, quod non ſolum a codice Marcionis, teſte Rufino, ſed etiam ab aliis libris, quos commemorat Hieronymus ad Eph. 3. 5. vt et a codicibus F et G. ac Vindobonenſibus quinque, quos docte nuper deſcripſit Cel. TRESCHOVIVS, abfuerint tria iſta commata τῳ δε δυναμενῳ κ. τ. λ. Apparet etiam liquido, quam ob cauſam Marcion cuncta, quae in noſtris exemplaribus capite 15 et 16. leguntur, diſſecuerit; nec obſcurum eſſe poteſt, cur in codice quodam latino, (a Wetſtenio ad h. l. laudato,) qui capitula epiſtolae ad Romanos recenſet 51, deſinant haec capitula in capite 14. Nam ſi in ſeparatis ſchedis ſcripta erant haec omnia, facile in codicibus nonnullis, ex autographo transſcriptis, vel omittebantur penitus, quaſi ad epiſtolam hanc non pertinerent, vel transponebantur varie atque diſſecabantur.

§. 4.

Autographa, quod nomen latius accipimus de archetypo quocunque, mature interiiſſe, fatentur omnes. Quonam autem ſeculo aut anno,

anno, et quo casu perierint, ignoratur. Ignatii tempore superstites fuisse in ecclesiarum tabulariis autographos apostolorum codices, multis persuasum est, ob locum IGNATII celebratissimum in *epist. ad Philadelphenos* cap. 8. παρακαλω δε ὑμας μηδεν κατ' ἐριθειαν πρασσειν, ἀλλα κατα χριςομαθιαν. Ἐπει ἠκσα τινων λεγοντων, ὁτι ἐαν μη ἐν τοις ἀρχειοις εὑρω, ἐν τῳ εὐαγγελιῳ οὐ πιςευω· και λεγοντος μου αὐτοις, ὁτι γεγραπται· ἀπεκριθησαν μοι, ὁτι προκειται. Ἐμοι δε ἀρχεια ἐςιν ἰησς χριςος· τα ἀθικτα ἀρχεια ὁ ςαυρος αὐτς, και ὁ θανατος, και ἡ ἀνασασις αὐτς, και ἡ πιςις ἡ δι αὐτς κ. τ. λ. Verum enim vero, vt incertam harum epistolarum rationem iam non vrgeam, 1) non solum graecus quidam codex pro ἀρχεια (archiua) legit ἀρχαια scil. βιβλια siue γραμματα (vetusta scil. exemplaria, i. e. libri Veteris Test.) sed huic lectioni patrocinatur etiam vetus interpres latinus, tam in breuiori quam in copiosiori et interpolata epistolae editione. 2) Ex antecedentibus fit probabile, committi hic inter se Veteris Nouique Testamenti libros. Dixerat enim: „Confugio ad Euangelium tanquam ad carnem Christi et ad apostolos (apostolorum scripta) velut ad ecclesiae presbyterium. Sed et prophetas (libros V. T.) diligamus, propterea quod et ipsi Euangelium annunciauerint etc. Si quis autem Iudaismum vobis exponat, (Euangelistarum et Apostolorum auctoritatem parvi pendens) ne audiatis ipsum etc. Fugite malas artes et insidias principis seculi huius." Tum paucis interiectis, vt nos quidem verba illa interpretamur, pergit: Audiui iudaizantes quosdam dicentes: His, quae in Noui Test. libris tradita esse tu contendis, fidem non habemus, nisi ex Veteri Instrumento eorum veritatem euincas; cumque ego quaedam Noui Test. loca proferrem, reposuerunt illi oracula (cum istis vt videbatur pugnantia) e Veteris Test. libris depromta."*) 3) Proxime sequentia explicationem nostram

*) Hunc sensum esse coniicio verborum a criticis aeque ac interpretibus misere

noſtram mirifice confirmant. Pergit enim: „Boni ſunt ſacerdotes, (Veteris Teſt.) ſed praeſtantior eis eſt ſummus ſacerdos (Chriſtus,) cui ſoli ſecreta Dei ſunt tradita. — Omnia haec ad vnitatem Dei; at Euangelium tamen eximium quiddam habet. — *Prophetae* annunciarunt eum; *Euangelium* vero perfectio eſt incorruptionis. Omnia in vniuerſum bona ſunt (lex, prophetae apoſtoli; addit interpolator) modo in charitate credideritis„ Haud igitur licet Euangelio opponere obſcuriora quaedam Veteris Teſt. loca! 4) Si vel maxime de archiuis ſiue tabulariis eccleſiarum, et autographis in his aſſeruatis, intelligendus eſſet Ignatius, tamen colligi ex hoc loco non poſſet, ſuperſtites illo tempore fuiſſe autographos apoſtolorum codices. Neque enim Ignatius tabularia Iudaizantibus opponit, aut eos eo ablegat; ſed ipſi potius adverſarii archiua crepant, et Ignatium tam acriter vrgent, vt, quo ſe vertat, vix inueniat.

§. 5.

Celebris eſt TERTVLLIANI locus in libro *de praeſcript. haeret*, c. 36. „Percurre eccleſias apoſtolicas, apud quas ipſae adhuc cathedrae apoſtolorum ſuis locis praeſidentur, *apud quas* (ipſae) *authenticae litterae eorum recitantur*, ſonantes vocem, repraeſentantes faciem. Proxima eſt tibi Achaia? habes Corinthum. — Si Italiae adiaces, habes Romam, vnde

ſere vexatorum. Facilitate ſane haec interpretatio caeteras vincere videtur. προκειται idem eſt ac γεγραπται. Sic το κειμενον ſiue προκειμενον ſunt verba textus, quae commentator explicat, immo omne id, de quo deliberatio aut diſputatio quaedam inſtituitur. Nec multum ab hac ſignificatione abludit altera illa, qua leges promulgatae ac publicatae προκεισθαι et κεισθαι dicuntur. Plana eſſent omnia, ſi Ignatio placuiſſet, vtrumque ſcripturae locum, tum illum, ad quem ipſe prouocauerat, tum eum, quem aduerſarius ipſi occinebat, diſerte excitare. Neque tamen cauſa cadimus, tametſi vertas: Cum ad quaedam ſcripturae oracula prouocarem, illi ſacrorum librorum exemplaria praeſto eſſe reſpondebant.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0059
DFG

vnde nobis quoque auctoritas praesto est statuta.„ Authenticas litteras alii interpretantur de autographis, alii de graecis exemplaribus. Neutra vero explicatio mihi arridet, licet vocabulum *authenticus* in se spectatum vtramque admittat. Quid enim? Achaicos christianos, graece loquentes, Corinthum adire oportuit, si *graeca* epistolae ad Corinthios exemplaria inspicere vellent? quanam igitur lingua conscripta fuisse putas exemplaria, quibus Achaiae incolae vulgo vtebantur? Sed de *autographis* non magis quam de graecis exemplaribus locus accipiendus esse videtur. Nihil sane in vniuersa oratione contexta occurrit, quod hanc interpretationem necessariam reddat. Contra vero obstat ei silentium Tertulliani *libro adv. Marcion.* 5. cap. 13. 14. vbi Marcionem in epistola ad Romanos ingentes foueas feciſſe et quaecunque voluerit abstuliſſe conqueritur. Quodsi enim Tertullianus, quem Romae aliquamdiu haesisse tradunt, autographum Pauli in hac vrbe supersesse siue resciuisset, siue, famam incertam, vt nonnullis videtur, secutus, putasset; vix potuisset quin huius exemplaris auctoritatem Marcioni, quem ipse Romae vixisse narrat, obiiceret. Accedit perpetuum Tertulliani de autographis silentium, innumeris illis in locis, vbi vel haereticos vitiatae scripturae accusat, vel de lectionis varietate fusius disputat. Quis credat, Tertullianum vnico hoc loco, vbi nulla autographos codices commemorandi causa erat, ad ea prouocasse; eundemque alibi, cum silentio hanc rem praeterire vix posset, tantum non studiose eam celasse? Tandem Origenes, curiosissimus et diligentissimus codicum biblicorum perueſtigator, qui mox post Tertulliani tempora inclaruit, Romae, Ephesi aliisque in vrbibus celeberrimis permultis aliquamdiu commoratus est, neque tamen uspiam autographum quoddam vidit, vel de tali libro quidquam fando inaudiuit. Si vero Origenis tempore certissime perierant archetypa, quis Tertulliani aetate superfuisse ea sibi persuadeat? Quamobrem authenticas illas apud Tertullianum litteras

litteras, de *genuinis et a nullo haeretico deprauatis exemplaribus* interpretandas esse censemus; id quod vniuerso argumento libelli de praescriptionibus omnium maxime consentaneum est.

Nempe docet Tertullianus cap. 15. non admittendos esse haereticos ad illam de scripturis disputationem; sed dispici debere, cui competat possessio scripturarum. Cap. 16. 17. Nihil proficit congressio scripturarum. Haereticus non recipit quasdam scripturas; et, si quas recipit, *adiectionibus et detractionibus* ad dispositionem instituti sui *interuertit*. His nituntur haeretici, quae ex falso composuerunt. Cap. 19. non prouocandum est ad scripturas, sed hoc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa? *cuius sint scripturae?* Vbi apparuerit esse veritatem disciplinae et fidei, illic erit *veritas scripturarum* et expositionum. Cap. 21. Quid apostoli praedicauerint non aliter probari debet, nisi *per eas ecclesias*, quas ipsi apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando, tam viua voce quam *per epistolas* postea. Doctrina cum *illis ecclesiis* conspirans, veritati deputanda; reliqua omnis de mendacio praeiudicanda est. Cap. 32. seqq. obiectiones nonnullae contra hanc praescriptionem refelluntur, eiusque indoles atque ratio vberius declaratur. Cap. 35. prouocat haereticos, vt proferant, si possint, aliquas eiusmodi praescriptiones aduersus disciplinam catholicorum, quemadmodum cap. 32 postulauerat, vt ederent *ecclesiarum suarum origines*. Tum pergit cap. 36. Age iam, qui velis curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, *percurre ecclesias apostolicas apud quas (* ipsae *) authenticae litterae apostolorum recitantur*. etc. Videamus quid *dixerit*, quid *docuerit* apostolus? Vnum Deum nouit etc. (enumerat dogmata catholicorum, Marcionis erroribus opposita.) Cap. 37. Si haec ita se habent, vt veritas *nobis* adiudicetur, qui *in hac regula* incedimus, constat ratio propositi nostri, definientis: non esse admittendos haereticos ad ineundam *de scripturis* prouocationem.

nem. Quo iure, Marcion, ſyluam meam caedis? (i. e. libros, ad me pertinentes, corrumpis?) qua licentia, Valentine, fontes meos (litteras ſacras) tranſuertis? *Mea* eſt poſſeſſio, olim poſſideo. *Ego* ſum haeres apoſtolorum. Cap. 36. Illic et *ſcripturarum* et expoſitionum *adulteratio*, vbi diuerſitas inuenitur doctrinae. Quibus propoſitum fuit aliter docendi, eos neceſſitas coegit *aliter diſponendi inſtrumenta doctrinae* (i. e. libros N. T.) Sicut illis non potuiſſet ſuccedere corruptela doctrinae ſine *corruptela inſtrumentorum* eius, ita et nobis integritas doctrinae non competiſſet, ſine *integritate eorum* (librorum ſ. inſtrumentorum) per quae doctrina tractatur. Addit denique Tertullianus, nullam adfuiſſe cauſam, quamobrem ſcripturam ſ. deprauarent catholici; optime enim conſentire catholicorum, inde ab initio, doctrinam cum ſcripturae argumento. Tandem queritur cum Marcione, quod machaera non ſtilo vſus ſit, et ad materiam ſuam *ſcripturarum caedem* confecerit. Iam ſi verba, de quibus diſputamus, in hac orationis ſerie conſiderentur, et vniuerſa argumentationis Tertullianeae ratio attendatur, patet, non de autographis, ſed *de genuinis exemplaribus* accipiendum eſſe hunc Tertullliani locum. Nam

1) non prouocat ad eccleſias apoſtolicas eo conſilio, vt autographorum ibi ſuperſtitum auctoritate reſellat haereticos, doctrinaeque catholicae veritatem demonſtret; ſed eam ob rem ad eccleſias apoſtolicas, quas ſolas audiendas eſſe ſupra monuerat, nos ablegat, vt *ex doctrina*, quam hi coetus tenent, (quam ipſi apoſtoli olim ipſis tradiderant, quamque apoſtolorum ſucceſſores intemeratam propagarant,) intelligamus, tum, veram eſſe doctrinam catholicorum, vtpote cum doctrina horum coetuum conuenientem, tum etiam, *ea ſcripturae exemplaria eſſe genuina* fideque digna, quae cum hac eccleſiarum apoſtolicarum doctrina exacte conſentiant. Poſtquam enim eccleſiarum apoſtolicarum,

apud

apud quas authenticae ſcripturae recitantur, mentionem iniecisſet, mox cap. 37 hac vtitur argumentatione: „*ſi* veritas *nobis* adiudicatur, *qui in ea regula incedimus*, quam eccleſia (Romana, Epheſina) ab apoſtolis, apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo tradidit: *conſtat*, non eſſe admittendos haereticos ad ineundam de ſcripturis prouocationem„ h. e. ad diſputationem, vtrum Marcionis exemplaria an vero catholicorum, Romanorum, Epheſinorum etc. antigrapha genuina ſint ſideque digna. Qua collectione (etiam cap. 19. occurrente) commodum ſuperſedere poterat Tertullianus, ſi autographa in tabulariis eccleſiarum aſſeruari exiſtimaſſet. Tum enim non opus erat, exemplarium fidem iudicare e conſenſu cum doctrina, ſed doctrinae potius veritas exiſtimanda erat ad autographorum iſtorum amuſſin. Nec inuentu difficilia videri poterant Tertulliano argumenta, quibus doceret, vera re apoſtolorum manibus ſcripta eſſe autographa illa. Nam, vt alia taceam, non poterat non in mentem ei venire argumentum illud, toties ab eo ad probandam doctrinae catholicae veritatem repetitum; ſucceſſio ſcilicet epiſcoporum.

2) Cap. 15 et 19 cardinem totius cauſae in hoc unice verti contendit, vt definiatur, *cuius* ſint ſcripturae? *cui* competat poſſeſſio ſcripturarum? Si ſupererant autographa, facillime lis haec dirimi poterat. Illius enim profecto ſunt ſcripturae, qui autographa earum inde ab initio poſſederat, et e poſſeſſione hac nunquam exturbatus fuerat. Hoc igitur praecipue vrgere decebat Tertullianum. Sed ea de re in toto libello nec vola apparet nec veſtigium. Ad conſenſum cum doctrina eccleſiarum apoſtolicarum vnice ſe recipit; authenticas non niſi vno verbo, in tranſcurſu tantum et aliud agens, attingit.

3) Egregie interpretationem noſtram roborat locus Tertulliani alius, noſtro perquam ſimilis, et a LARDNERO iam obſeruatus in *the Credi-*

Credibility of the Goſpel Hiſtory, part. 2. vol. 2. pag. 577. Nempe *aduerſ. Marcionem* lib. 4. cap. 4. de *genuino* Euangelii Lucae exemplari diſputat. „Ego, inquit, meum dico verum, (i. e. *authenticum*) Marcion ſuum. Ego Marcionis affirmo *adulteratum*, Marcion meum." Litem hanc eadem prorſus ratione dirimendam eſſe contendit, qua noſtro in loco haereticos convellere conatur. Prouocat ſcilicet ad eccleſias apoſtolicas, atque illam Euangelii Lucae editionem authenticam eſſe pronunciat, quae ab his eccleſiis probetur. „In ſumma, ait cap. 5, ſi conſtat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, ab initio quod ab apoſtolis: pariter vtique conſtabit, id eſſe ab apoſtolis traditum, quod apud eccleſias apoſtolorum fuerit ſacroſanctum. Videamus, quod lac a Paulo Corinthii hauſerint; ad quam regulam Galatae ſint recorrecti; quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſii; qnid etiam Romani de proximo ſonent, quibus Euangelium et Petrus et Paulus ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt. — Dico itaque apud illas — *id Euangelium Lucae* ab initio editionis ſuae ſtare, quod (nos catholici) cum maxime tuemur; Marcionis vero (corruptum exemplar) pleriſque nec notum etc." Non magis Tertullianus eo loco, de quo diſputamus, ad autographa apoſtolorum prouocauit, quam hoc adu. Marcionem loco autographa Lucae in omnibus, quas enumerat, eccleſiiis extare ſtatuit.

4) Non obſtat interpretationi noſtrae, formula Tertulliani: *ipſas* authenticas recitari. Primum enim vocabulum *ipſae* abeſt ab editione Beati Rhenani 1539 et nouiſſima Halenſi. Inſeri ſane potuit facillime, ob verba praecedentia: *apud quas ipſae* adhuc cathedrae etc. Hinc verſu proxime ſequente, eadem recurrente verborum ſtructura, repetiit librarius quidam: *apud quas ipſae* authenticae. Deinde, licet genuinum ſit, tamen moroſius premi non debet. Quis obſecro ferret interpretem, e formula

formula antecedente: *ipſae* apoſtolorum cathedrae Romae adhuc praeſidentur; hunc ſenſum elicientem: epiſcopus, qui hodie Romanae eccleſiae praeſidet, in illa ipſa ſella ſedet, qua olim, cum Romae degeret, vti ſolebat Petrus aut Paulus? Cur igitur ſimillima his verba interpretemur: exemplaria, quae hodie Romae recitantur, ſunt illa ipſa archetypa, quae ſua manu olim ſcripſerat Paulus! Priorum verborum ſenſus eſt: Romanam eccleſiam fundarunt apoſtoli ipſi, Petrus et Paulus; his ſucceſſerunt poſtea alii, ab apoſtolis ipſis edocti atque probati, qui doctrinam eorum penitus imbiberant, eamque fideliſſime conſeruarunt et διαδοχοις ſuis porro propagandam tradiderunt. Atque haec praeſidum vere apoſtolicorum ſucceſſio ordine non interrupto ad noſtra vſque tempora perdurauit, ita vt hodienum Petrus et Paulus Romae viuere ac eccleſiae praeſidere videri quodammodo poſſint, epiſcopo faciem eorum quaſi repraeſentante. — Quidni formulam poſteriorem huic ſimillimam eadem ratione explicamus? Nempe epiſtolae, ad eccleſias apoſtolicas olim ab apoſtolis ſcriptae, ab iis, quos apoſtoli regimini horum coetuum ipſi praefecerunt, horumque ſucceſſoribus, viris vere apoſtolicis, puriſſime conſeruatae ſunt. (Quam enim ob cauſam apoſtolorum ſcripta immutaſſent, qui ſinceram apoſtolorum doctrinam retinebant? Conf. cap. 38.). Quare ſi libri illi in hiſce coetibus hodie recitantur, ipſum apoſtolum docentem audimus, lectoris voce apoſtolum quaſi ſonante.

§. 6.

Caeterum ex iis, quae de archetypis, Origenis aetate certiſſime iam deperditis, ſupra commemorauimus, erroris quoque conuincuntur, qui tempore demum Diocletianae perſecutionis, cum ad tradendos codices ſuos chriſtiani cogerentur, pleraque autographa interiiſſe ſuſpicantur. Notari praeterea meretur, extra africanas eccleſias, quae profecto autographa poſſidebant nulla, perpaucos extitiſſe videri codicum

cum sacrorum traditores, et celeberrimam illam controuersiam super traditoribus exortam, totam ad solas spectasse africanas ecclesias. Si vero ob tradita hostibus apographa tantae excitatae fuerunt tragoediae, quanti tumultus moti fuissent, si quis ipsa apostolorum autographa igne comburenda tradidisset? Neque Eusebius, qui incipiente persecutione triginta ad minimum annos natus iam erat, et de rebus huius temporis fuse agit eamque ipsam legem, quae codices sacros flammis addicebat, commemorat, immo diuinarum scripturarum libros in medio foro concrematos esse oculis suis vidisse se testatur; neque auctor libri de mortibus persecutorum; neque traditores africani, licet eorum exemplo, qui autographa ipsa tradidissent, crimen suum emollire quodammodo potuissent; neque alii scriptores seculi quarti, de codicibus combustis passim loquentes, archetyporum direptorum mentionem fecere. Sed si de re tam memorabili quidquam ad aures eorum fando peruenisset, vix silentio id praeterire potuissent. Cum praeterea ante Diocletiani tempora persecutores libris sacris inhiasse aut codices christianis extorsisse nusquam legantur, ne illis quidem assentiri possum, qui hostium saeuitiae tribuendum esse putant, quod autographa citius perierint.

§. 7.

Ego vero duabis de causis factum esse arbitror, vt de archetypis epistolarum *) conseruandis minus solliciti essent veteres christiani; nam si summa qua poterant cura et diligentia asseruare ea voluissent, contingere vix potuisset, vt sub tertii seculi initia ex tot libellorum archetypis ne vnicum quidem superstes esset. Nimirum postquam edita

*) Quod ad Euangeliorum libellos attinet, dubitari posset, vtrum quisquam mortalium archetypa eorum viderit, praeter eum, cui procurandae editionis negotium ab auctore sacro demandatum fuerat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0066
DFG

edita esset omnium epistolarum apostolicarum collectio, ἀπόστολος dicta, haec ad vsus tam publicos quam priuatos plerisque (vide infra §. 14.) longe videbatur accommodatior, quam exemplaria, quae singulas tantum epistolas continebant. Quare, cum publicae lectiones ex ἀποστόλῳ iam recitarentur, et hoc etiam doctores plebis priuatim vterentur, euenit, vt singularium epistolarum exemplaria, ne autographis quidem exceptis, obliuioni sensim darentur, nec studiose conseruarentur. Intellexerant enim antistites, τον ἀποστολον non differre ab autographis codicibus, sed perinde esse, vtrum hos legerent an illum. Praeferendus autem videbatur ὁ ἀποστολος, non solum quia plura complecteretur, verum fortasse etiam, quoniam archetypum exemplar lectu esset difficilius, vel quod diuturno vsu detritum iam esset, vel quod litterae ab apostolo aut amanuensi eius non nimis eleganter essent pictae.

§. 8.

Deinde propterea etiam de conseruandis autographis priscos Christianos minus anxios fuisse crediderim, quod de singulis textus sacri apicibus ac syllabis parum soliciti essent istius aeui homines, dummodo sensum integrum atque doctrinam apostolorum incorruptam esse cernerent. Huius rei multa extant atque luculenta indicia, de quibus deinceps nonnulla monenda venient. Neque tamen hanc ob causam socordiae aut impiae cuiusdam negligentiae accusandos eos esse censeo. Nam doctores illorum temporum, si a philosophis nonnullis discedas, homines erant ad scholae leges haud edocti, nec grammaticorum et criticorum disciplinae et ἀκριβεια adsueti. Quales se praebuerunt in explicando sacrarum litterarum sensu, hoc est, satis securos et negligentes et qualicumque rerum ipsarum declaratione contentos, grammaticam vero interpretationem susque deque habentes; tales etiam in rebus ad criticam disciplinam pertinentibus eos fuisse,

mirum videri potest nemini. Quin interpretandi illud genus, cui soli adsueti erant, critica ἀκριβεια prorsus carere poterat. Nisi enim ita deformatus erat textus, ut sensus inde existeret plane ineptus aut impius, commodum procedebat interpretatio, nec erat, cur vocabula quaedam addita aut omissa aut cum aliis eiusdem fere significationis permutata, morarentur. Vt primum vero grammaticorum ἀκριβειαν in explicando sacro codice imitati sunt Christiani nonnulli, crisis sacra exerceri coepit. Origenes enim, vti grammaticae interpretationis auctor fuit, ita etiam criseos sacrae parens exstitit. Huius vestigia postea presserunt quidem nonnulli, criseos exercitium cum iustae ac grammaticae interpretationis studio coniungentes; at plerique tamen, praesertim inter latinos, priscum illud interpretandi genus, ad alendam pietatem magis quam ad indagandum et stabiliendum sacrarum litterarum sensum adaptatum, vel post Origenem retinuerunt; vnde factum est, vt crisin, qua supersedere possunt huiusmodi interpretes, penitus negligerent, et codices sibi oblatos quoscunque secure et nullo praeuio examine sequerentur, nisi forte fama percrebuisset, hunc illumue locum ab haereticis esse corruptum. Sed obiicient mihi fortasse nonnulli, tales de haereticorum deprauationibus controuersias diu ante Origenis tempora agitatas esse, atque hinc effici posse, ne secundo quidem seculo defuisse viros doctos, qui critica facultate pollerent et comparandis examinandisque codicibus sacris operam darent. Verum facillime nodus hic solui potest. Deprauationes enim, ab istis seculi secundi haereticis tentatae, tam apertae erant atque manifestae, vt vel imperitissimo cuique vltro incurrerent in oculos. Patres vero, qui corruptos ab haereticis locos censoria virgula notarunt, ita in hoc negotio versati sunt, vt criticarum rerum rudes atque ignaros eos fuisse, planissime pateat; qua de re deinceps plura dicemus. Hoc loco illud tantum addere licebit, praeter eam, quam hactenus explicuimus, aliam etiam indicari posse causam,

ſam, cur antiquiſſimi illi chriſtianorum doctores in obſeruandis codicum diſcrepantiis et examinandis ponderandiſque variantibus lectionibus minus, quam nobis quidem par eſſe videtur, curioſi fuerint. Etenim nobis aliunde, quam e ſacris litteris chriſtianae religionis notitiam certam atque veram haurire, et controuerſias ſuper fide chriſtiana exortas diiudicare haud licet; eamque ob cauſam omni cogitatione et cura in id incumbere nos decet, vt textum ſacrum habeamus nullis omnino, quamuis leuioribus, mendis deformatum. Contra vero illi homines apoſtolis aut viris apoſtolicis vſi erant magiſtris, atque ex horum ſermonibus coram inſtitutis doctrinae chriſtianae praecepta ante imbiberant, quam ad librorum ſacrorum lectionem adgrederentur. Dogmata chriſtiana, ipſis iam cognita, non eruebant e ſacrarum litterarum oraculis, ſed ſcriptura vtebantur tantum ad confirmanda ea, quae ex magiſtrorum ſuorum inſtitutione didicerant. Auditoribus ac diſcipulis ſuis ea dogmata propinabant paene ſola, quae ad ipſum conſequendae ſalutis ordinem ſpectant; in quibus tradendis et inculcandis vti ſolebant paucis quibuſdam atque ſelectis ſcripturae locis, quae maxime perſpicua ipſis viderentur; caetera vero eiuſdem argumenti dicta negligebant et vix vnquam proferebant. Si qui erant, qui in rerum ad religionem pertinentium cauſas et indolem ſtudioſius inquirerent, ii philoſophorum placita conſulebant potius, quam ſcriptorum ſacrorum oracula. Controuerſias, de fidei chriſtianae dogmatibus exortas, optime componi poſſe exiſtimabant auctoritate atque teſtimonio eccleſiarum apoſtolicarum, aut eorum doctorum, qui apoſtolorum aut virorum apoſtolicorum diſcipuli fuerant. Traditioni tam exegeticae quam dogmaticae mirum quantum tribuebant. Quid plura? Haec enim, quae breuiſſime attigimus, intento animo conſiderare qui velit, mirari deſinet, quid ſit, quod antiquiſſimi chriſtianorum doctores parum fuerint ſoliciti de accurata ſacrarum litterarum in-

terpretatione, ponderanda lectionis varietate, examinandis et conferendis inter se codicibus, atque asseruandis apostolorum autographis.

§. 9.

Ante editam epistolarum apostolicarum collectionem, *singulae epistolae* saepius procul dubio descriptae et ad alias etiam ecclesias, quam quibus proxime destinatae erant, delatae iam fuerunt. Probabile hoc non solum est in se, quoniam non nisi post secundi seculi initia collectarum epistolarum corpusculum illud prodiisse videtur, sed clare etiam innuitur a Petro, 2 Ep. 3, 16. paulinas epistolas laudante easque ταις λοιπαις γραφαις haud obscure aequiparante. Fortasse huc etiam pertinet admonitio apostoli 2 Thess. 2, 2. ne decipi se patiantur Thessalonicenses per epistolas tanquam a Paulo scriptas; si quidem fictas epistolas intelligas non Thessalonicensibus sed aliis inscriptas, et ad Thessalonicenses ab impostoribus delatas. Nec extitisse dubitamus, *quasdam epistolarum collectiones*, tametsi imperfectas, mox plures mox pauciores epistolas complectentes, antequam plenius illud corpusculum quod τα αποστολα s. αποστολικα nomine venire solebat, in publicum esset protrusum. Petrus certe l. c. πασων των επιστολων Pauli mentionem iniicit, adeoque plures se vidisse testatur. Veri etiam admodum simile est, ecclesias communicasse epistolas ad se datas cum aliis ecclesiis finitimis, (Coloss. 4. 16.) et cum iis coetibus, qui apostolicarum illarum ecclesiarum ministerio nuper collecti erant atque fundati. Atque cum primi Euangelii praecones plerique non in eodem semper loco haeserint, sed varia ad amplificandos ciuitatis christianae fines itinera susceperint, (Euseb. 3, 37) haud difficulter intelligitur, quo modo ad alias etiam ecclesias perferri potuerint apographa epistolarum ad dissitas ecclesias datarum. Ephesii v. c. habebant procul dubio apographa epistolarum ad Timotheum, Ephesi degen-

degentem, et ad Coloſſenſes atque Galatas datarum. Corinthii facili negotio nanciſcebantur exemplaria epiſtolarum ad Theſſalonicenſes et Phillippenſes. Corinthii atque Epheſii ſecum inuicem communicabant epiſtolas, quas tum hi tum illi collegerant. Per Corinthiacos autem doctores Romam proficiſcentes, corinthiacum hoc corpuſculum mature Romanis innotuit, qui viciſſim Corinthiis epiſtolam ad Romanos ſcriptam impertiti ſunt. Igitur primo iam ſeculo tam ſingularum epiſtolarum quam collectiuncularum quarundam, diuerſis in locis a variis auctoribus factarum, *exemplaria ſatis multiplicata fuiſſe* videntur. Horum igitur exemplarium, ante canonem conſtitutum ex archetypis aut ex eorum apographis deſumtorum, deſcriptio, proximum poſt autographorum hiſtoriam locum ſibi vindicat. Etſi enim nihil quidquam de talium codicum conditione memoriae tradiderunt ſcriptores antiqui, poſſumus tamen, ni fallor, indolem eorum coniectura ſatis probabili vtcunque aſſequi. Cum enm credibile ſit, apographorum horum pleraque non deſcripta eſſe a librariis exercitatis atque peritis, ſed ab ipſis illis hominibus piis, qui talium exemplarium deſiderio flagrabant, ſuſpicari licet 1) non nimis venuſte exarata atque variis ſcripturae compendiis, minus vulgo vſitatis referta ea fuiſſe; id quod multiplicibus erroribus poſtea, cum e talibus libris alia antigrapha conficerentur, occaſionem praebuit. — Praeterea noua illa phraſeologia, qua notiones chriſtianae antea incognitae exprimebantur, multis ſine dubio, qui paganorum ſacris antehac addicti fuerant, obſcura videbatur. Quamquam enim haud repugnamus, apoſtolorum ſcripta intellectu ſatis facilia fuiſſe iis, qui verſionem των ὁ diligenti manu dudum verſauerant, et Iudaeorum graece loquentium formulas, de rebus ad religionem pertinentibus, cognitas habebant atque perſpectas; aliter tamen ſentiendum eſt de hominibus paganis, qui chriſtianorum coetibus nuper ſeſe adiunxe-

rant. Augebatur haec intelligendi difficultas apud eos, qui vnam tantum et alteram Pauli epistolam nacti erant, et paralleliſſimi beneficio deſtituebantur. Quod ſi ita eſt, prona ad fidem eſt coniectura, 2) interpretamenta et additiones non omnino abfuiſſe ab iſtis primi et ſecundi ſeculi codicibus. Ac ſi vel maxime in margine tantum poſita ea primum fuiſſe concedamus, facile tamen in textum ipſum poſtea admiſſa fuerunt, ab iis praeſertim hominibus, qui deſcribendis libris aſſueti non erant. Interpretamenta ſane vltro quaſi ſe offerebant iis, qui vel apoſtolum ipſum de iisdem rebus, quae in epiſtolis tractantur, coram atque diſtinctius loquentem audiuerant, vel a diſcipulis et familiaribus eius, authenticam formularum ſubobſcurarum explicationem acceperant. Clariſſime praeterea ex Irenaei, Tertulliani aliorumque allegationibus apparet, ſecundo iam ſeculo gloſſemata et additamenta haud pauca in multorum exemplarium textum fuiſſe recepta. Atqui eosdem illos patres vſos eſſe non exemplaribus τῶν ἀποστόλων, ſed codicibus priſcis, ante editum ἀπόστολον ſcriptis, alibi oſtendemus. Quin vetuſtiſſima etiam illa translatio latina, ex id generis codicibus confecta, et variis additamentis et gloſſis abundans, coniecturam noſtram extra omnem fere ponit dubitationem. Haud diffiteor tamen, epiſtolarum codices minus fuiſſe hoc modo interpolatos, quam Euangeliorum exemplaria. Sed rei huius ratio reddi poteſt facillime. Qui enim vnum tantum vel duo poſſidebat Euangelia, animum inducebat facile, vt e caeterorum Euangeliſtarum commentariis, quae in manus ei forte inciderant, nonnulla decerperet ſuoque codici adiiceret. Amplam praeterea euangelicos codices interpolandi variiſque additamentis locupletandi materiam ſuppeditabant tum euangelia apocrypha, in quibus procul dubio vera nonnulla ac noſtris Euangeliis conſona falſis et incertis admiſta erant; tum etiam multorum hominum, fide non prorſus indignorum, de rebus geſtis

gestis et sermonibus Iesu Christi narrationes. Plures itaque interpolandi illecebrae aderant in Euangeliis, quam in epistolis. Adde, rarius has descriptas esse, quam illa.

§. 10.

Pergimus ad editionem τῶν ἀποστολικῶν, qui epistolas ὁμολογουμένας hoc est Pauli tredecim, Petri priorem, et Ioannis primam complectebatur. Tredecim paulinas infuisse huic corpusculo, inde colligitur, quod hae omnes a cunctis catholicis inde ab antiquissimis temporibus absque vlla dubitatione receptae ac pro genuinis habitae fuerunt. Qui vnam earum admittebat, caeteras etiam omnes recipiebat; id quod contingere vix potuisset, nisi omnes simul in publicum editae vnoque volumine comprehensae fuissent. Contra vero epistolam ad Hebraeos, Iacobi, Iudae, Petri posteriorem, atque Ioannis secundam et tertiam ab ἀποστόλῳ abfuisse opinamur. Hae enim epistolae a multis catholicis olim in dubium vocatae, immo reiectae fuerunt. Quodsi vero vna cum tredecim paulinis, eodemque modo ac eidem volumini inclusae, in christianorum manus peruenissent, aeque ac illae fuissent receptae. Quoniam autem non extabant in collectione epistolarum apostolicarum indubie genuinarum, scrupulus iniectus est eis, quibus aliunde de authentia earum nondum constabat. Duas vero Ioannis et Petri epistolas Paulinis in τῷ ἀποστολικῷ adiunctas fuisse, pluribus de causis statuimus. Primum enim tam exiguae molis epistolae vix omnibus christianis inde a secundo seculo innotuissent, nisi ὁ ἀποστολος complexus eas fuisset. Deinde nemo, qui paulinas recipiebat, has non admittebat. Vtramque a Papia receptam fuisse, docet Eusebius H. E. 3, 39. Eaedem, praeter paulinas, solae occurrunt in epist. Polycarpi, in epist. ad Diognetum, et in epist. martyrum Lugdunensium. Immo Irenaeus, sexcenties excitans loca ex Euangeliis, 13 paulinis epistolis,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0073
DFG

lis, priori Petri et prima Ioannis (et Apocalypsi), caeteras epistolas, quas ab ἀποστολῳ abfuisse contendimus, nunquam clare (excepta secunda Ioannis) excitauit. Similiter Clemens alex. et Tertullianus priorem Petri et primam Ioannis (et Iudae epistolam) laudant, sed Iacobi epistolam, Petri secundam et Ioannis duas posteriores nunquam excitant; licet Clemens praeter primam Ioannis aliam eiusdem auctoris epistolam nouisse videatur. Praeterea auctores, quorum epistolae continebantur in τῳ ἀποστολικῳ, a scriptoribus vetustissimis nonnunquam in plurali numero laudabantur οἱ ἀποστολοι. Sic Ignatius epist. ad Philadelphios cap. 5. commemorat το εὐαγγελιον, τους ἀποστολους et τους προφητας; et auctor epistolae ad Diognetum, quae perperam quidem Iustino Martyri tribuitur, at secundo tamen seculo scripta esse a viris doctis iudicatur, libros sacros vniuersos cap. 11. hoc modo recenset: ὁ νομος, οἱ προφηται, τα εὐαγγελια, οἱ ἀποστολοι. Denique translatio syriaca simplex vtramque hanc epistolam complectitur, caeteras autem (excepta tamen epist. ad Hebr. et Iacobi) omittit.

§. 11.

Quisnam τὴ ἀποστολικὴ editionem procurauerit, ignoratur. Existimarunt quidem nonnulli, Paulum ipsum collectionis huius auctorem esse, quemadmodum Plinius aliique epistolas a se scriptas ipsi et collegerunt et edi curarunt. Sed causas habeo sat multas et, vt opinor, graues, cur in hac sententia esse non possim. Nam 1) nullus scriptor vetustus huius rei, quae profecto notatu fuisset dignissima, meminit. Tertullianus v. c. opposuisset procul dubio Marcioni, epistolas ad Timotheum et Titum respuenti, apostoli auctoritatem, si Paulum ipsum epistolas has caeteris adiunxisse existimasset. 2) Dubitatio de epistola ad Hebraeos oriri non potuisset, si Paulus ipse epistolas suas collegisset ac edidisset. Quis enim caeteris eam adiicere aut adiectam retinere atque

que defendere ausus esset, si Paulus eam seponendam esse iudicasset? Aut quis libellum resecare sustinuisset, quem apostolus epistolarum suarum corpusculo ipse adiunxisset? 3) Quo iure Paulus suarum epistolarum editioni Ioannis ac Petri epistolas, viuis adhuc earum auctoribus, adiicere potuerit, haud facile dixeris. Ac si priorem Petri adiunxit, quidni posteriorem quoque? Vtilissime sane testimonium Petri (cap. 3, 15. 16. si tamen Petri est,) adhibere potuisset ad repellendam iudaizantium calumniam, qui velut Pseudapostoli illi Galatis insidiantes, Petrum a Paulo dissentire mentiebantur. Cum igitur Paulo editio τῦ ἀποστολικῦ tribui nequeat, nec vlla appareat causa, cur alii cuidam apostolo epistolarum illarum collectionem acceptam referamus, superest, vt vel discipulum aliquem apostolorum vel nobilem quandam ecclesiam epistolas, in vnum fasciculum congestas, euulgasse existimemus. MILLIVS quidem *proleg.* §. 196. Romanae ecclesiae τὸν ἀποστολικὸν adscribendum esse autumabat, partim, quia epistolam ad Romanos primum in hac collectione locum occupare videbat; (id quod aliis de causis factum esse putamus;) partim, quoniam ab iis canonem hunc epistolicum profectum esse opinabatur, qui prae aliis tres illos Apostolos, quorum solorum epistolae primitus in eum relatae erant, in maxima habuissent veneratione, iisque singulari quadam consuetudine iuncti fuissent. Sed admodum infirmam esse hanc argumentationem largientur mihi lectorum plerique. Nititur sane incertissima, ne dicam fabulosa, narratione de Ioanne Romae commorante et in dolium feruentis olei demerso, cuius auctor est Tertullianus, homo perquam credulus. Ego vero graecum potius hominem in graecorum suorum ciuium gratiam graecae huius editionis curam in se suscepisse existimauerim. Nam primo quidem seculo plerique sub occidentem solem, qui Christo nomen dabant, graece sciebant; secundo autem seculo, cum altiores radices in Italia, Africa etc. egisset religio christiana, et multi

indigenae amplexi eam essent, christianorum graece loquentium numerus (comparate saltem) sensim decrescebat. Longe plures profecto erant in Graecia, Asia, Aegypto etc. qui graeca librorum sacrorum exemplaria desiderabant, quam in Italia. Quod si ita est, quidni in istis potius regionibus editionem τῶν ἀποστόλων prodisse statuimus, vbi maius erat eius desiderium, maiorque necessitas? Occidentalium vero christianorum vtilitatibus eodem circiter tempore, quo ἀπόστολον editum esse suspicamur, latina librorum sacrorum translatione prospectum fuit. Praeterea, si a vero non abhorrent, quae postea de alexandrinae atque occidentalis recensionis originibus disputabuntur, apparebit, veri longe similius esse, τὸν ἀπόστολον editum esse a doctore quodam graeco, aut ab orientali quadam ecclesia.

§. 12.

Tempus editi ἀποστολικῶν incertum quidem est, sed veri tamen speciem prae se ferre videtur eorum coniectura, qui tum e locis Ignatii et auctoris epistolae ad Diognetum, §. antecedente laudatis, tum e Marcionis instituto, qui aeque ac catholici ἀποστολικῷ quodam (licet a catholicorum ἀποστόλῳ diuerso) vtebatur, effici posse existimant, editum fuisse ἀπόστολον aliquamdiu ante medium seculum secundum praeterlapsum. Sed fateor non omnes deesse dubitandi causas. Ignatianarum enim epistolarum ratio dubia est, et auctoris ad Diognetum aetas accurate definiri nequit; Marcion vero imitatus fortasse est antiquiorem quandam epistolarum collectionem (§. 8.) non catholicorum ἀπόστολον. Quid? si Marcionis mutilam editionem occasionem praebuisse coniiciamus catholicis, vt de curanda meliore ac pleniore epistolarum apostolicarum editione cogitarent? Equidem nihil certi affirmare ausim, praeterquam quod ante Irenaei, Tertulliani atque Clementis tempora in lucem iam prodierit ὁ ἀπόστολος. Quo minus autem sub ipsa seculi secundi initia diuulgutum eum fuisse existimem, obstat

obstat potissimum Iustini Martyris auctoritas. Hic enim Euangelia quidem excitat saepissime atque clare, verum ad epistolas non nisi perquam raro atque latenter alludit. Hae igitur minus quam illa notae atque familiares ei fuisse videntur; quod mirum esset in homine, qui plures orientales et occidentales ecclesias visitasse fertur, si ἀποστολος inde a seculi primordiis in lucem publicam fuisset protrusus. Mirifice suspicionem meam confirmat celeberrimus Iustini locus apolog. I. cap. 67. vbi in publicis christianorum conuentibus praelegi testatur τα ἀπομνημονευματα των ἀποστολων ἢ τα συγγραμματα των προφητων, hoc est, Euangelistarum commentaria et prophetarum (i. e. Veteris Test) scripta. Nam ἀπομνημονευματα των ἀποστολων saepissime vocat Euangelia, et capite proxime antecedente diserte scribit: οἱ ἀποστολοι ἐν τοις γενομενοις ὑπ' αὐτων ἀπομνημονευμασιν, ἁ καλειται εὐαγγελια, sacrae coenae institutionem ita enarrant etc. Sola igitur Euangelia publice tunc christianis praelecta fuisse videntur, saltim in ecclesiis permultis; ὁ ἀποστολος autem, vel nondum vel ante paucos annos editus, publici iuris vix factus erat, et doctorum potissimum vsibus inseruiebat.

§. 13.

Vtrum textus, quem exhibebat ὁ ἀποστολος, ex archetypis ipsis, an vero ex apographis vel epistolarum singularium vel collectionum quarundam specialium, manauerit, pro certo definiri non potest. Vnam alteramue epistolam ex ipso autographo transscripsisse editorem, facile nobis persuaderi patimur; omnes autem ex archetypis desumtas esse, vero vix simile est. Sufficit nobis, textum τȣ ἀποστολικȣ satis fuisse genuinum, nec talibus lectionibus deformatum, quae vel sensum notabiliter immutarent, vel apostolorum doctrinam corrumperent atque deprauarent. Cum enim omnium ecclesiarum catholicarum calculo comprobatus fuerit ὁ ἀποστολος, ne iis quidem exceptis, ad quas apostoli olim epistolas suas direxerant, nostro iure hinc colligi-

mus, editorem nemini ſuſpectum fuiſſe de mutato aut interpolato epiſtolarum textu, ſed conſenſiſſe hanc editionem cum eis exemplaribus, quae ex archetypis ipſis deſcripta, multorum doctorum manibus iam ante euulgatum ἀποστολον terebantur. Quod tamen ita accipiendum non eſt, ac ſi quoad ſingulas omnino litteras et ſyllabas accuratiſſime autographa expreſſerit. Primum enim incertum, immo improbabile eſſe modo diximus, archetypa omnia inſpecta atque collata fuiſſe ab editore; deinde ſumma illa ἀκριβεια, quae voculas ſingulas anxie ponderat, aeui iſtius moribus repugnat, (§. 8.) nec nimis erat neceſſaria, quamdiu viuerent doctores, qui fidei chriſtianae formulam vel ab apoſtolis ipſis vel a diſcipulis eorum, ſumma auctoritate apud chriſtianos pollentibus, accepiſſent. Multae denique occurrebant in libris ſacris voces atque phraſes, quae graecis lectoribus, hebraiſmi penitus ignaris, non poterant non obſcurae eſſe, litterarumque ſacrarum intelligentiam impedire. Saluo ſenſu, ſaluaque librorum ſacrorum integritate permutari haec poterant cum aliis formulis intellectu facilioribus. Quis enim tam ineptus eſt, vt euerſam eſſe textus ſacri integritatem clamitet, ſi quis v. c. Matth. 6, 1. pro δικαιοσυνη ſcribat ἐλεημοσυνη? Aut quis iuſtis vindicet argumentis, exemplaria epiſtolarum ab editore adhibita, nulla omnino gloſſa, nullo interpretamento fuiſſe interpolata? (§. 9.) Ego quidem, vt ingenue mentem meam eloquar, ſuſpicor omnino, gloſſas nonnullas textui τα ἀποστολικα primitus fuiſſe admiſtas, ſalua tamen librorum ſacrorum integritate. Hoc enim, quod nec in ſe ἀδυνατον nec improbabile eſt, poſito atque conceſſo, permultae hiſtoriae noſtrae partes in clariſſima luce collocari poſſunt, quae repudiata hypotheſi noſtra (conf. Sect. 1. §. 15.) cimmeriis tenebris involuta manent. Planum hoc fiet e ſequentibus commentationis noſtrae ſectionibus, in quibus non ſolum, huius hypotheſeos ope, duarum recenſionum antiquiſſimarum origines declarare ſtudebimus,

qua

qua de re paucula hoc loco praelibare placet; verum etiam primitiuas vtriusque recensionis lectiones sub examen vocabimus, atque eam, quae ex ἀποστολῳ fluxit, ineunte seculo tertio interpretamentis scatuisse demonstrabimus.

§. 14.

Edito iam τῳ ἀποστολικῳ, exemplaria codicis epistolici breui tempore admodum sine dubio multiplicata sunt. Qui hoc codice adhuc caruerant, facile nunc nanciscí eum poterant. Qui manca collectione, paucas tantum epistolas complectente, (§. 9.) vsi antea erant, codicibus suis eas iam addebant, quas in pleniore hac editione laetabundi reperiebant. Neque tamen credibile est, antiquiores illos codices, ante diuulgatum ἀποστολον scriptos, a possessoribus suis nunc fuisse abiectos aut combustos. Nam magni isto tempore constabant libri manuscripti, nec vllam habet veri speciem, abiecisse quemquam codicem suum, cui inde a multis annis adsuetus fuerat, et quem vel difficulter sibi comparauerat, vel ab antecessoribus, parentibus, amicis, apostolorum aut apostolicorum virorum discipulis, martyribus, confessoribus etc. acceperat. Neque criticorum more libros suos cum noua hac editione contulisse crediderim antiquiorum codicum possessores. (§. 8.) Sed retinebat quisque codicem suum, eique adiiciebat tantum epistolas eas, quas abesse a libro suo iam intelligebat. Qui vero postea nouos describebant codices, ii vel exemplaria nouae editionis sequebantur, vel priscos illos codices (suppletos ex ἀποστολῳ) exprimebant, adhibito tamen plerumque eo epistolarum ordine, quem editor τῳ ἀποστολῳ praeiuerat. Antiquiores enim libri nullum certum ordinem seruasse videntur, sed ea procul dubio serie excipiebant se epistolae, qua collectori, exemplaria quae transscriberet conquirenti, sese obtulerant. *Duplex* igitur inde ab hoc tempore *codicum genus* per librarios propagabatur, quorum alterum, e priscis illis codicibus, alterum e nouae edi-

tionis exemplaribus manabat. Deprehendimus igitur, nisi nos fallunt omnia, *duarum recensionum diuersarum incunabula!* *Latini* priscorum codicum, ex ἀποστολικῳ auctorum, tenaciores erant; graeci contra praeferebant antigrapha τῶν ἀποστόλων. Inter *latinos* enim christianos cum rari fere essent graecorum exemplarium emtores, librarii in talibus conficiendis, nisi poscerentur, vix desudabant, ne forte operam suam perderent. Quin librarii christiani, qui graecos codices exarare possent, fortasse non nimis multi in occidentalibus regionibus reperiebantur. Pagani autem librarii operam suam christianis locare in transcribendis sacris eorum libris vel nolebant, vel christianis suspecti esse poterant; praesertim inde ab eo tempore, quo tum paganorum μυστηρια imitari, et sacrorum suorum rationem studiose profanis hominibus celare coeperunt christiani, tum fama de codicibus ab haereticis corruptis percrebuit. Plerique igitur, qui graeci sacrorum librorum codicis desiderio tenebantur, ipsi apogragha sibi confeciſſe videntur. Quodnam vero codicum, quos describerent genus elegisse, et vnde eos petiisse putabimus pios hosce homines? Nimirum priscos illos codices adamabant, quos in amicorum suorum aut presbyterorum scriniis dudum asseruatos fuisse, nec ab haereticis corrumpi potuisse sciebant. Accedebat latinae translationis, ex priscis illis exemplaribus, vt suo loco videbimus, confectae, auctoritas, quae hoc codicum genus occidentalibus christianis valde commendabat. Contra vero *graeci*, orientalium incolae prouinciarum, obsoletos hos codices sensim seponebant. Cum enim multa sacrorum librorum exemplaria quotidie hisce in regionibus quaererentur, librarii procurandis eis facile operam suam impendebant. Nec deerant profecto inter graecos librarii christianis sacris addicti sat multi, qui tum apographa conficerent rogati, tum non lucri tantum spe, sed promouendae etiam religionis christianae desiderio permoti, facerent sedulo, vt quaedam sacrarum litterarum exemplaria nunquam non in tabernis suis prostarent. Si vero librariorum potissimum ministerio textus sacer inter graecos propagatus fuit, dubitare vix licet, quin horum plerique pleniorem ac recentiorem

τȣ ἀποστολικȣ editionem transscribere maluerint, quam priscos illos atque imperfectos codices, ante editum ἀποστολον exaratos. Si porro ὁ ἀποστολος in oriente primum in publicam exiit lucem, apud orientales sine dubio christianos in Graecia, Aegypto etc. maior eius fuit auctoritas, quam apud Italos aliosque, quibus editor minus erat notus. Si denique textus τȣ ἀποστολȣ a hebraismis nonnullis atque formulis, auribus graecis insolitis, purgatus fuit ab editore, (§. 13.) hominibus graece loquentibus placere potuit magis, quam durior illa occidentalium recensio, quae formulas illas diutius retinebat. Quamquam enim in hanc quoque mature irrepserunt glossae permultae, magis tamen ad sensum quam ad dictionem graecam spectasse videntur.

§. 15.

Ex his, quae de ortu atque diuerso modo, quo propagata fuit recensio vtraque, obseruauimus, coniecturam facere possumus de recensionis vtriusque indole et conditione. Si autem duas codicum antiquissimorum classes extare deinceps demonstrauero, in quas aptissime quadrent omnia, quae de ambarum recensionum indole, ex mea de ortu earum hypothesi, *coniectando iam eliciam;* fatebuntur, vt spero, periti harum rerum arbitri, inanes haud fuisse, quas de recensionum illarum initiis proposui, suspiciones. Igitur

1) occidentalium codices graeci *), nisi mea me fallit coniectura, a) non omnes eodem ordine exhibebant libros sacros (§. 14.) b) Scatebant glossis, declarando sensui inseruientibus, et additamentis. Nam ducti erant non solum e libris, in quibus multa textui admista erant interpretamenta, (§. 9. nr. 2.) sed noua etiam indies accedebant glossemata, quoniam causae, ob quas olim insertae fuerant glossae, (ibid.) magna ex parte nondum cessauerant. c) Additamenta illa horrebant locutionibus parum graecis, vtpote a semigraecis hominibus profecta, procul a Graecia degentibus. d) Mirabiles passim occurrebant lectiones, quarum

*) Quae hic disputantur, valent non solum de epistolarum verum etiam de Euangeliorum codicibus; immo nonnulla criteriorum hic allatorum magis conspicua sunt in his quam in illis.

rum ortus explicari vix poteſt, enatae ex inuſitatis ſcripturae compendiis et inſolitis litterarum imperite pictarum ductibus. (§. 9. nr. 1.) e) Permutabantur interdum vocabula, quae a librario graeco, talibus codicibus deſcribendis adſueto, confundi vix potuiſſent. f) Formulae inſolentiores, ſoloeciſmi et id genus alia reperiebantur iis in locis, vbi alii codices locutiones exhibebant puriores, elegantiores, clariores, quae venuſtulorum graecorum librariorum, lectorum et commentatorum debebantur ſedulitati. g) Vitia contra grammaticorum graecorum praecepta admiſſa paſſim deprehendebantur, inprimis latiniſmi, qua orthographiam, vocabulorum terminationes, nominum genera etc.

2) Graecorum ſiue orientalium codices a) in hiſce rebus, quas modo enumerabamus, omnibus, diſſimiles erant occidentalium chriſtianorum libris. Saltim quae crebro occurrebant in his, vix rariſſime deprehendebantur in illis. Inprimis vero b) raro in ipſis inueniebantur errores grauiores, ex inſcitia ſcribae exorti. Contra vero c) frequentiora erant ſphalmata eius generis, quod caueri vix poteſt, ſi ſaepius liber aliquis tranſcribatur, v. c. omiſſiones ob ὁμοιοτέλευτον. Cum enim longe plura Noui Teſt. graeci exemplaria conficerentur inter orientales quam inter occidentales, facile contingere potuit, vt codex β anno 300 exaratus, ſine alius codicis interuentu transſcriberetur e codice α, anno 150 ſcripto. At inter codicem orientalem z, eodem anno 300 exaratum, et codicem a, anno 150 ſcriptum (e quo, interuenientibus tamen aliis nonnullis, textus τα manauit) viginti forte aut plures intercalandi ſunt codices. Quare, cum in vnoquoque intercalarium illorum codicum noua quaedam ſphalmata a librario oſcitante et feſtinante admitterentur, atque in caeteris, poſt hunc ſcriptis, repeterentur, codex z non potuit non ſphalmatibus abundare leuioribus, tot librariorum, mercede conductorum, concurrente negligentia ſenſim cumulatis. d) Gloſſae, quae irrepſerant, ad illuſtrandas res et ſententias minus ſpectabant, quam ad declarandas locutiones, graecis auribus inſolentiores. e) Dictio vniuerſa, ſi totum textus habitum ſpectes, ad graecam puritatem ac elegantiam propius accedebat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0082
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn833299301/phys_0086
DFG

VIII. IX. seqq. ii codices, qui Sec. III. IV. scripti fuerant, abiiciebantur, rarissime, in vsum paucorum hominum priuatorum, describebantur;) lerique etiam qui post Elseuirium curandis nouis editionibus praefue- templar Elseuirianum vnice sequendum et religiosissime exprimendum runt, nec litterulam vllam mutare ausi sunt.

Quo plures conscribebantur commentarii, in quibus singula paene verba sacrorum studiose explicabantur, eo facilius librarii intelligebant, haud esse, quibusnam vocabulis et loquendi formulis sensus apostoli vtcunque ur, sed ipsa etiam verba accurate esse retinenda. Cum praeterea poste- commentatoribus solenne esset, anteriorum scrinia compilare, et in- iones ab his prolatas repetere; accidit, vt plerorumque locorum inter- stata quasi esset atque definita. Stata vero interpretatio stabilem atque occupat textum.

Ex quo tempore libri sacri describebantur potissimum a monachis et vir- cris, exspiravit prisca illa in transcribendis codicibus licentia. Hoc enim osum hominum genus omnibus in rebus, praesertim in sacris, ἀκριβειαν solet et λεπτολογειν amat. Permulti etiam vix intelligebant, quae scri- t pinxisse libros dicendi potius sunt, quam scripsisse. Hinc ad errores, a oriundos, proni quidem erant; sed leuitas illa, quae novas fingit lectio- bis tantum, non sensu, ab antiqua differentes, crimini ipsis dari vix potest.

§. 10.

nstitutum mihi quidem erat, potiora, quae de fatis antiquiorum recensio- ieratim notanda sunt, hoc loco persequi; sed cum temporis jam premar pauciſſimis res expedienda, vberior autem declaratio in aliud te npus la est. I. Seculo tertio ineunte diversae jam extabant recensiones, non orum tantum, sed Epistolarum etiam. Nam codices, quibus usi sunt alex. Origenes, aliique post hos Alexandrini et Palaestinenses, qua xtus habitum vniuersamque eius conformationem, differebant a codicibus, facta est vetus translatio latina. Quamvis enim horum discrepantia ab or aliquanto esset, quam ab hodiernis codicibus impressis; tamen quoniam epantia non spectabat ad quorundam tantum locorum lectiones, sed ad tex- versum; b) utrumque codicum genus per plura secula propagatum est; iversitate provinciarum seu dioeceſium vel hoc vel illud genus usitatum am recensionem his, aliam illis inesse decernimus. Ab utraque distincta tantinopolitana, siue ea, qua usus est Chrysostomus; propinquior quidem